120

Est 165
—
num 14

N. 267

[illegible]

RS8

6T2 [illegible]

N. 267

3.
Set 155
No 14
No 268

5

~~e.5~~
e.h

625

BENEDICTI AR. MONTANI HYMNI ET SECVLA.

ANTVERPIAE,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Viduam, & Ioannem
Moretum.
M. D. XCIII.

35

PETRVS DE VALENTIA I. C. LECTORI.

ANNIS antè paucis, quum B. Ariæ Montani viri incomparabilis poëmata, quæ tunc contigerant, typis minutioribus excudẽda curaremus, poſt nõnulla quæ ad illam editionem præfati ſumus, aliud quoque eiuſdem poëtæ opus vario carminum genere non multo pòſt edendum promiſimus, quod exiguo volumine magnũ theſaurum veræ, ſimplici, & genuinæ, id eſt, Chriſtianæ diſciplinæ refertiſſimum complecteretur. Ecce ergo fidem liberamus noſtram, vt qui non noſtro, ſed fœcundi ac locupletis diuino munere ingenij nomine polliciti id fuerimus. Atque arbitror quidẽ nominibus omnibus promiſſo illi opere, quod nunc damus, ſatisfieri: ſiquidem omnia illa de ſacrorum ſcriptorum doctrina dici iure poſſũt. Nihil enim ſententiarum eſt totis his carminibus, quod non ex aperta ſacrorum oraculorum interpretatione ſit petitum: ex quibus res omnis poëtæ huic iam olim petenda ducitur, vt vel nos oſtendere poſſemus, & oſtenſuros aliquando editis in vniuerſa poëtica viri huius ſcripta annotationibus ſperamus, ſi Deus votis annuat, noſq́; id è re Chriſtiana eſſe perſpexerimus. Cõmendatione verò noſtra poëmata hæc non indigebant, nec poë-

ta ipſe noſtram aut alicuius hominum requirit; vtpote qui nullo priuatæ gloriæ ſtudio, vel ad alia ſcribenda, vel ad hæc canenda ducatur; votisq́; omnibus & viribus illud ſolum contendat & agat, vt diuini nominis gloria & Chriſtianæ Eccleſiæ vtilitas indies promoueantur. Cumulatiſſimè igitur ſibi ſatisfactum putarit, ſi vel vni ex puſillis, qui in Chriſtum credunt, aliquid ex his carminibus vel vtilitatis vel voluptatis ad Dei gloriam creetur, etiam ſi ſibi non ſolùm nihil ex hoc laudis accedat, ſed & decedat etiam apud eos, qui indignum viro iam ac ſeni grauiq́; (vti aiũt) ac ſobrio (addo ego) & abſtemio, poëſeos ſtudium putant, ac vix iuueni & in ioco decorum. His vt reſpondeamus, poëſeosq́; antiquiſſimum, iucũdiſſimũ, atque vtiliſſimum, ac penè diuinum vſum,
Euripid. Bacchid. *certè ſacrum, probemus, nunc non eſt:* Δόξει *enim* τἰς ἀμαθεῖ σοφὰ λέγων οὐχ εὖ φρονεῖν. i. *Nõ [enim] ſapere videatur ſtulto ſapiẽtia, qui dicit [verba] Ferino homines ſenſu & ingenio: namq́; & Bru-*
Theophraſtus apud Antigonũ & Plinium. *ta aliqua concentu mulceri & trahi magni authores prodidere. At quid hoc! ſtomachamur. parum muſicè factum. Boni homines, quid poëtice ipſa ſit, quémve vſum præſtet, non nouerunt; illius abuſum in vernaculis, fortaſſe tantùm ſibi auditis, cantilenis perſenſerunt: ex eo haud iniuria moleſtè ferũt, ſi ſanus & aliquo in pretio habendus vir poëta eſſe dicatur. Sciant igitur ad*
Vide Platonis Gorgiam. *laudabilis cuiuſque artis exemplum adulatricem*

alteram

alteram non quidem artem, ſed verſutiam ſeſe
pingere & conformare ſolere, quæ pro legitima ſe
arte meretricio fuco ingerens diuenditet: vt pro
Philoſophia Sophiſtica, pro Politica vulgaris
Rhetorica, pro Gymnaſtica Comotica. Sic pro poë-
tica veráq; Muſa vulgarium verſificatorum fu-
cata hæc Siren imponit. Cuius probra vt poëticã
infamia notent vlla, nulla ratio eſt. Nobis poëſis
nõ aliud eſt quàm ornata quædam ac ſupra vul-
garem rationem ſublimis, ad muſicéſque vſum
temperata aptáq; oratio, grandioribus rebus di-
cendis, & maioribus animi ſenſis exprimendis op-
portuna. Sic namque eſt natura ipſa cõparatum,
vt oratio animi habitum, geſtum, ac motus ſimi-
litudine quàm fieri poſſit maxima effingat & ex-
primat. Cùm igitur mens humi hærens atque de-
fixa ſedet, nec ſolo tollitur aut erigitur, ſed terre-
na tantùm concipit & meditatur, pedeſtri quo-
que humiliq́; ſermone ſenſa pronunciat ſua: ſin
autem vehemẽtiore aliquo ſpiritu excitata gran-
dia cæleſtiaq́; agitet, vt ſi ex diuinorum benefi-
ciorum & operum cõtemplatione Dei ipſius lau-
des aliúdve verbum bonum eructet, non peditem
iam, ſed pennatam potiùs ac volucrem eius ſenſi
interpretem orationem proferat, oportet, id eſt, vt
canat neceſſe eſt, niſi ſi ſine modo vociferatura ſit.
Deus ergo ipſe, qui mentem euocat tollitq́; in cæ-
lum, minimeq́; terrena ſapere & agitare homi-
nes vult, excelſa etiã ex illius modi cogitatu pro-

ſecta oratione, id eſt, poëſi gaudet, ac (vt ſic dicam) mulcetur.

Pindar. Pyth. 1.	—— κῆλα δὲ καὶ	*i. Carminum illecebræ*
	Δαιμόνων θέλγει φρένας:	*Deorum etiã mentes*
	Ὅσσα δὲ μὴ πεφίληκε	*mulcent. At quæ non*
	Ζεύς, ἀτύζονται βοὰν	*amat Iupiter auerſãtur*
	Πιερίδων ἀΐοντα,	*vocẽ Pieridũ cùm*
	Γᾶν τε καὶ πόντον κατ'	*illã audiũt, per terrã*
	ἀμαιμάκετον.	*& per mare vaſtum.*

Certè quidem ij qui in tenebras exteriores eiecti
Iob 10. *ſunt, vbi vmbra mortis & nullus ordo, ſed ſem-*
" *piternus horror inhabitat, ſine modo modulóve aut ordine vllo eiulantur & ſtrident. At cæleſtes*
" *Spiritus canunt,* Gloria in excelſis Deo, & in ter-
" ra pax hominibus bonæ voluntatis: *non tunc primùm poëtæ, ſed iam olim à principio Dei laudes in cæleſti aula celebrare & canere docti. Canere, inquam etiam ſi nulla ibi vox gutture edatur, ſi-*
" *quidem &* cęli *ipſi* enarrant gloriam Dei *miro illo concentu, quem Pythagoras quidem audire ſe fatebatur, fatebiturq́ quiſquis non ſurda omni-*
Pſal 91. qui eſt in diẽ ſabbathi, ab Adamo cõpoſitũ Chaldæ9 interpres ait. *no eſt mente. Primo omnium hominum parenti Adamo Pſalmus aliquis inter ſacros adſcribitur. Tum deinceps omnibus ſeculis nullus ferè ſanctorum Prophetarum fuit, qui non aliquid carmine ediderit: quales Moſes, Samuel, Dauid, Salomon, Iſaias, Ieremias, cæteri. Vides viros, ſenes, graues, magnos, Principes, Reges, ſanctos poetas. niſi ſi vnicum potiùs in illis omnibus poëtam agnoſcere*

vis Deum, qui locutus eſt per os ſanctorum, qui à „
ſeculo ſunt, Prophetarum eius. *Fuerunt & Diuæ* „
poëtides, non quidem feminea authoritate leues, ſed quarum nemo non authoritatem eleuare exhorreat. Debora. Anna Samuelis mater. Iudith, ipſa virgo ſanctiſſima Dei mater quæ verſu quoque magnificauit Dominum. Omitto innumeros ſanctos poëtas non ita antiquos, ſed magnos & graues ſatis: quales D. D. D. Ambroſius magnus, Gregorius vterque, Thomas Aquinas, alij. Scio erubeſcunt iam & dant manus poëtices oſores aut contemptores, tanta tamq́ multa authoritate preſſi, nec exſpectant vt innumera illa teſtimonia quibus cãtare Domino iubemur, Quoniam bonus eſt Pſalmus, *ex Pſalmis & ſacris libris aliis, in ipſos contorqueamus: vt, Commonentes voſmetipſos Pſalmis, & Hymnis, & Canticis ſpiritualibus, in gratia cantantes in cordibus veſtris Deo. &, Vnuſquiſque veſtrûm Pſalmum habet, Apocalypſin habet. Non etiam opus iam eſt, vt antiquiſſimum in veteri ac nouo populo Hymnorum, Canticorum, cantorúmque in templis vſum obiiciamus; nec vt illud quoque doceamus, quondam inter Græcos per multa ſecula nullum librum niſi carmine edi moris fuiſſe, ſiue philoſophico is ſiue grauiore, id eſt, theologico argumento foret. Namque Orphei, Muſæi, Epimenidis, aliorumq́ quorundam carmina Theologica habebantur: Parmenidis, Xenophanis, Epicharmi,*

Col. 3.
Epheſ. 5.
1 Cor 14.
Strabo lib. 1.
Plutarch. Quare iã nõ darẽtur oracula carmine.

 charmi,

charmi, Empedoclis, philoſophica fuere: Eudoxi In Lyſide *& Thaletis, aſtrologica. quapropter Plato patres duceſq; ſapientiæ poetas dixit. Primi inter Græcos Cadmus Mileſius & Pherecydes Syrius proſa libros ſcribere aggreſſi ſunt: ex eoq; proſæ inuentores à Plinio appellantur. quamuis, quod Strabo ait, metrum tantùm ſoluentes, poeticam dictionem retinuerint. At noui quid adhuc dicturi ſint poetices hoſtes illi, vt ſunt moroſi, atque, vt arbitror,* μελαγχολῶντες, *quales Ariſtoxenus aiebat,* χολὴν ἐμεῖν ὅταν ἐναρμονίου ἀκούσωσιν. *i. Bilem euomere cùm enharmonio genere quippiam cantari audierint. Namque ſic accidere videmus, ægri maximè medicamenta auerſantur. Dicent igitur. Non ſe damnare poëſin, quæ Deum diuináque aut aliàs ſeria & vtilia canat: cæterùm videre magnorum poetarum, cùm Græcorum tum Latinorum aliarumq; linguarum libros amatorios plerunque, reliquáſque animi minimè laudabiles perturbationes modulantes. Ita eſt. hi etiam motus animum cient & exagitant, vocéſque non ſolitas edere impellunt: verùm nihil mali ex poeſi muſicéve tunc accedit; ſiquidem modus malus impoſitus aut adiectus malum non eſt: quippe non vtique iam in furias cædeſq;, & tetra alia præ dolore aut mœrore proruperit, qui furentem animum cãtu mulcet & mitigat: atque qui carmine conqueritur, modum ponit querelis. Namque & in hunc maximè*

ximè

ximè vſum harmoniam, quæ menti cognata ſit atque germana, à Muſis conceſſam Plato ait, vt inconcinnos ac perturbatos animi motus ipſius ope & auxilio perſuaſos & cicuratos in ordinem & congruentem ornatum redigere poſſimus. Stoici ſapientem illum ſuum, quem bonis omnibus cumulatum volunt, etiam poetam faciunt, quum & auſterum futurum dicant. Latiſſimus hinc ſeſe nobis aperiebat cãpus: verùm nimis iam multum euagamur, nec vniuerſa poeſis nunc commendanda aut defendenda venit. Pro noſtro poeta & poemate illa dixiſſe ſatis fuerat: Seria hîc cani tantùm & ſacra, veteri, ſacroſanctoq; & diuino exemplo: eiuſmodiq; hæc eſſe, vt nulla dictione meliùs quàm poetica eloqui quis poſſit. Mira namque & magna, qualia opera Dei ſunt, qui facit mirabilia magna ſolus, poeticum aut vocalius etiam ac grandius eloquium poſtulant. ipſaque poeſis grande ſemper & mirum, nec vulgare argumentum quærit. Quæ fortaſſe maximè ratio Gentium poetas ad confingendas impulit fabulas, quòd hiſtoriæ resq; ipſæ non ſatis magnæ viderentur. Eſt præterea poetica dictio myſteriis occultandis aptior, vtpote inuoluta, & ſuum canumq; ingeniis nõ ita peruia. Si quando autem cantandum fuit, hoc maximè noui fœderis aureo ſeculo cantare exultareq; decet, & oportet. Hæc eſt enim dies quam fecit Dominus, exultationi gaudioq; dicata. Neque verò vnum noſtri Montani opus

Plato in Timæo.

poeſis eſt: ſciunt enim pij omnes quàm multa, quamq; magna & vtilia ſoluta oratione ſcripſerit & ſcribat. Sed feſtis diebus iam ex multo tempore cum vniuerſa Eccleſia Dei, & cum religioſis præcipuè in ipſa cœtibus canere inſtituit. Quibus quidem diebus & alia antea edita, & hæc, quæ nunc damus, ſunt ab ipſo decantata. Quæ certè omnia ſeria ſunt & momenti maximi, ſi rem ipſam ſpectes: artis verò & elegantiæ poeticorumq; omnium ornamentorum ratione cum nulla non Græcorum & Latinorũ eximia poeſi componenda. Liceat apertè quod ſentio dicere per eos etiam, quibus nihil non vetus ſapit, cùm & noſtra hac ætate quidem noua, re autem, id eſt, arte & conditura vetera ſint. Legi non minùs quàm quiſpiam alius fortaſſe attentè vetera omnia Græca & Latina poemata. nulli ex ipſis hæc inferiora ſunt viſa, plurimis (ne dicam omnibus) longè meliora iuſta æſtimatione comperi. Video tumultuantur plurimi, noſtroq; iudicio maximum noſtrum erga poetam amorem obiiciunt; quẽ quidem nos non nimiũ (nam nullus fuerit) ſed quam Ariſtophanis. *fieri poteſt maximum fatemur.* Αἰσχρὸν δὲ κρίνειν τὰ καλὰ τῷ πολλῷ ψόφῳ. *i. Turpè verò eſt iudicare quæ pulchra ſint maiori ex turba murmure. Ex collatione, req; ipſa, non ex opinione, æſtimare ac decernere æquum eſt. Quin vel ex eo quilibet (abſit contentio) ad hoc credendum induci facilè poſſit, quòd nemo vnquam veterum poetarũ fuerit*

rit cum noſtro.quod doctrinam & artem ſpectat, comparandus, vt ſimile ingenium alicui concedamus. Atqui his tribus, id eſt, doctrina, arte, & ingenio poemata commendabilia ſunt. θεῖον autem ἐπίπνοιαν quam illi magno mendacio iactant, deberet fortaſſe noſter ad Dei gloriam profiteri. Verùm omittamus hæc. Non enim vltra id quod ſe facere, vel ſibi contingere poſſe confidit, alium laudari homines ferunt. Ex illa igitur multa huius poetæ doctrina, cui præter Theologiam (id eſt, ſacrarum litterarum cognitionem) & philoſophiam omnium ferè linguarum, omniumq́ue ingenuarum artium notitia conſtat non vulgaris; ac nullius quoque ex minoribus artibus, quæ βάναυσοι habentur, omnino rudis eſt: ſed in quibuſdam etiam artifex, in ſingulis πεπαιδευμένος: Ex hoc, inquam, fit, vt attentum & eruditum lectorem hæc carmina deſiderent. Multa enim paſſim in illis occurrunt, tum verba, tum res, ex diſciplinis ducta, quæ non facilè capiat aut perſentiat, qui iis artibus non ſit initiatus. Nam præter res quæ ad comparationem aliaque poeſios lumina ex ſcientiis petuntur ſingularum quoque propria diſciplinarum vocabula nō niſi propriè hic vſurpata comperies. Nulla hic carminum fulcra, nulli tibicines, otioſaq́ue & ſono tantùm iuuantia verba; omnia vtilia, omnia plena ſolidaq́ue ſunt. Dicta ipſa aut gnomæ ſunt, aut definitiones, aut diuiſiones, aut rationes. Deniq; ex arte omnia. Cuius

Ariſtotel. Politic. lib. 3. c. 7.

de re

re rei præmonitum oportet, hæc inter legẽdum obſeruaturum, dum noſtris etiam annotationibus non iuuaris. Vt autem reliqua omnia, operis huius etiam partitio ſacra nititur authoritate. Animaduertere enim ac notare eſt in Apoſtolicis ſcriptis, quum de temporum ratione agitur, infinitam illam durationem, quæ ante rerum principium ſine principio fuit, à temporibus ſeiunctam ac ſeparatam indicari ſolere, & illis dicendi formis ſignificari, In principio, Quod fuit ab initio, Ante tempora ſecularia. *Hanc conſtitutionem prior huius operis pars ſpectat, quæ* HYMNI *tãtùm ſunt ad ſanctiſsimam Trinitatem, & ipſius perſonas ſingulas, atque ad Angelos. Qua parte, etſi omnino Theologica eſt, ij etiam ad pietatem & doctrinam iuuari poterunt, qui ſcholaſticis exercitationibus operam non dederunt. Eſt enim in illis Hymnis vniuerſa de Trinitate Catholica doctrina ad ſimpliciorũ quoq; captũ accõmodata.*

Poſt mundũ conditum quidquid temporis à diuino de humana reparatione & ſalute promiſſo, ad idem promiſſum præſtitum & confirmatum per Spiritum ſanctum, miſſum à Patre in nomine Filij fluxit, SECVLA *in ſacris dicitur: quæ ſecula ad diuinæ veritatis & conſtantiæ animaduerſionem diligenter à Prophetis adnotata & indicata ſunt. In his ſeculis recenſendis, & ſuis rationibus celebrandis, ſecunda & maxima poematis pars inſumpta eſt. Secula* Dies *excipit vnica,*

Solus

Solis iuſtitiæ, qui nũquam occidet, radiis illuſtrata: namque nox præceſſit, dies autem appropinquauit. „ Sub nocte lucernæ, id eſt, Legis & Prophetiarum, commodus & neceſſarius erat vſus: cui qui attendebant, bene faciebant, vt ait ſanctus Petrus. Subiit verò ante diem ipſam tempus, quod nec diem nec noctẽ iure appelles: nõ diẽ, quia nondum Sol ipſe conſpicitur, quum nondum à terra exaltatus ſupra Orizontem noſtrum aſcenderit: non noctem, Orientis enim iam iam ſolaris radij lumen tantam ſui vſuram præbet, vt clareant omnia, viæq́ omnes & tramites manifeſtè appareant, vt iter aut opus aliud ſine laterna aut lucerna vlla occipere iam liceat. ORIENS id tempus dicatur, illudq́ ſignificet, quo Verbum iam caro factum inter homines agebat; & licet clarificatum nondum eſſet, tamẽ eam ſui lucem dabat, vt Patrem in ipſo eſſe cognoſcere oporteret. Ipſum ergo iam tunc præcedentem, & in regnum ſuum ducentem, viamq́ aperientem & ſternentem ſequi oportuit minoribus minùs curatis luminibus, quæ interim dum Lucifer oriretur ſplendebant. Nam Lex & Prophetæ vſque ad Iohannem. „
Hic igitur Oriens ille eſt, cui canendo poſtrema operis huius opera ponitur. quæ orto iam legitimè Sole deponitur, id eſt, ipſa die ſiue Seculorum fine. Dies duplici cantico ſalutatur: Moſis altero, ſed ad veram libertatem ac lucem, quam olim præcinebat, accommodato; & altero Zachariæ Sacer-

doris ac vatis ſub ſeculorum fines de ipſamet ſalute decantato. Huc quum canendo deueniſſet, poeta noſter lyram deponens porrigit illis, qui Solis ipſius ortu iam gloriam contentis oculis & re-
" uelata facie ſpeculantes, in eãdem imaginẽ tranſ-
" formãtur à claritate in claritatem à Domini Spiritu. *Celebrauit quidem poeta noſter diem etiam ipſam heroicis carminibus alio in loco, id eſt, ad finẽ eius voluminis, quod* Magni operis Animam *inſcripſit, duplici teſtimonio Apoſtolico, Spiritus priori, & Ignis altero: ſed ex illorum ipſorum re-*
" *latu & verbis, quos* dignos fecerat Deus in par-
" tem ſortis ſanctorum, in lumine, *quoſq;* de pote-
" ſtate tenebrarum trãſtulerat in regnum Filij dile-
" ctionis ſuæ. *In quam partem ac regnum & te & me, & mortales omnes, ô Lector, transferat Dominus* I E S V S *Chriſtus: cui honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen. Vale. E Zafra in Bethica Hiſpania, Martij 30. Anno 1592.*

BENE-

BENEDICTI
AR. MONTANI
HYMNORVM
LIBER.

I. FESTORVM DIERVM OTIVM carminibus piis dicandum ſtatuit.

OCCIDVNT feſti pereuntis horæ,
Quotquot ingrato populi vagantis
More luduntur, varioque ſæpè
Crimine ſordent.
Mater, vt prudens alios iuberet
Feſta ſecerni celebranda in vſus,
Dixit, octauum volumus ſacratum
Surgere Solem.
Inde per notos iteranda faſtos
Menſium, ſanxit monumenta Patri, ac
Ciuibus cæli, ſtatuitque dignum
Figere nomen.
Ergo me ſanctis iuuet obſequutum
Legibus magnæ monitoque Matris,
Cantibus puris operum vacanteis
Ponere luces.
Hac Deus noſtram requie ſenectam
Alleuans donet canere, & parentum
Ludere exemplis memoranda plures
Carmina in annos.
Iam lyræ intentus tenuique plectro
Dicar inſanus, nihil hoc moramur,
Si modò noſtri placeat Parenti in-
ſania luſus.

Ipſe & amentes melius notabo,
Quos per integras ferias profani
Occupant ludi, aut rapido voluptas
Munere fallit.
Decipit falſa ſpecie benigni
Gaudij, quidquid probat aut Cupido,
Vulgus aut ſenſu ſequitur ſiniſtro
Iudicioque.
Vnicus menteis recreat Deus, quem
Gaudium præſens comitatur, Vnus
Efficax auctor placidæ quietis
Lætitiæque eſt.

2. DE SACRARVM LITTERARVM ſtudio ad Ben. Girgoſium Celtiberum.

ARtium compos geminique iuris
Docte Girgoſi Benedicte, qui me
Viuere, & lætum petis & beatum
Reque animoque.
Quid mihi ſummos cupias honores?
Quidve opes, currus, comiteſque, equoſque, &
Cuncta quæ vulgus putat expetendæ
Commoda vitæ?
Sic tibi morum ſimiles tuique.
Ingenî ſemper ſubeant fluentes
Candidi ſoles ſine nube fraudis
Inuidiæque.
Nil tuo exoptes ARIAE, pareſve
Ocium præter latebraſque honeſtas,
Quo procul, poſſit, populo ſacratas
Voluere chartas.
Hanc bonam ſortem (facilem leuemque, vt
Arbitror, multis aliis, mihi ſed
Arduam) conſtans cupiamque amemque, &
Prouidus optem.

Gratiam

Gratiam regum populique plauſus
Quidquid & pulchrum & nitidum videtur,
Cæteris, quos hæc decuere, cedam
Linquere certus.
Vnum opus nobis, reliqui ſit vnum
Munus æui, quod ſuperi iubebunt
Eſſe, diuinis operam fidelem
Ponere libris:
Quos vbi mentes auidæ piæque
Cominus certo tetigere ſenſu,
Orbe ſub Lunæ nihil approbare
Dulcius aiunt.
Nec magis gratas epulas valenti,
Nec mage ægrotis alio ſalubrem
Exprimam ſuccum folio, nec vllo è
Cortice libri,
Viribus magnis neque comparandum
Nectari ſancto interiù fluenti ex
Fertili ſemper viridique ſemper
Arbore vitæ.
Huius & ſimplex facies nitorque
Explet intento oculos, fragrans &
Afficit nares odor, vmbra laſſos
Subleuat artus.
Mentis æternæ ſapientiæque
Ratio interpres, penitusque ſancta,
Quæ Deum terris hominesque cælo
Concilias vox,
Auribus noſtris, animo atque ſemper
Inſones puro cupido tuique,
Dicta nam ſanctè tua cui placebunt,
Cætera frigent.
Te Deus priſci ſolidique veri
Indicem, pulchri ſpeculum decoris,
Teſtem & æterni fluidique iuſſit
Temporis eſſe.

Ille & humanum genus, atque Adami,
Perditam quondam ſobolem benignus.
Tollere è tantis voluit ruinis.
Numine dextro.
Quidquid ad ſummam fidei probandæ
Pertinet, quidquid didiciſſe fas, &
Cognitum prodeſt, tibi continendum
Credidit olim.
Tu doces quis ſit Deus, & quid almum
Mouerit primos poſuiſſe mundi
Cardines certo numeri & modorum
Munere firmos.
Subdoli fraudes colubri doloſque,
Crimen & noſtros miſeroſque caſus,
Noſcere hæc quiſnam poterat, ni in ipſa
Vera dediſſes?
Tu graui finem poſitum labori,
Publicæ & certum medicum ſalutis,
Conſili arcani memoraſque formam
Propoſitique.
Te fides curſu bene ducta dextro,
Atque promiſſis animata ſummis
Conſulit, per te vario in periclo
Fulta manet ſpes.
Inſtruis mites animos rudeſque,
Increpas durum genus, & minaci
Voce pertingis penetraſque in alta
Pectora viuax.
Te colunt reges, metuunt tyranni,
Et tuis parent monitis potentum
Principum ſedes, apicem tuiſque
Legibus ornant.
Viribus quarum celeres neque æquem
Fulminis motus, gladiiue acutum
Robur, aut flatu valido excitantis
Æquora ventos,

Ipſa

Ipſa ſed rurſus miſeris dolorum
Ferre lenimen potes, & querelas
Vertere in cantus, celebremque laudem,
Lætitiamque.
Quin & exemplo propriis notisque
Improbas falſos remouesque fines
Rebus humanis, variata quarum
Nomina ſignas.
Nam graue, aduerſum, miſerumque monſtras,
Quod putat vulgus leue, quod ſecundum
Iudicat: damni numero reponis
Vtile quod fert.
Te bonam quiſquis meminit magiſtram,
Nouit ærumnas lachrymasque mæſtas
Dicere & lætam & placidam quietem
Deliciasque.
Improbam vitam didicere noſtri,
Te duce, & letho ſimilem vocare,
Et piam mortem ſimilem ſopori
Credere dulci.
Doctor ô verax hominum, Deique
Efficax ſermo, nihil vt redundas,
Nil cares rerum, cupidus boni queis
Inſtruitur vir.

AD SANCTISSIMAM TRINITATEM HYMNVS.

QVo te nomine proferam?
Qua te voce canens excipiat chorus?
O qui ſidera greſſibus
Ac ſubſtrata tuis æquora, & aridam,
Magnumque æthra perambulas,
Cui lucis regio finibus obſitam
Nullis conſtituit domum,
Semotamque tua mente minoribus,

Circumfuſaque veſtium
Vſum cui referunt lumina, terminum
Menſuramque negantia,
Quæ complent vario ac multiplici ſinu
Quantum claudit & intimi
Excludit ſpatij mundus & extimi,
Cuius ſub pedibus vaga
Nox tendit trepidis aſpicientibus
Confuſas tenebras, nubeque lucida
Mortales oculos concutit, ac tui
Cernendi efficit impotes,
Contentoſque ſuis eſſe opibus iubet.
Ergo quem neque mentium
Vis & multa volans & volucris queat
Prima attingere fimbria
Veſtis multiplicis, nec digitis pedum
Tellus quos breuior ſubit,
Quali te valeam dicere nomine
Quod Romana canentium
Certis docta cohors excipiat modis?
Nam quod nunc petimus tui
Lætis carminibus ponere numinis
Pondus, ſancta volumina
Et dictata tui munere ſpiritus
Priſcis ſcriptaque vatibus
Quamuis tradiderint & numeris bonis
Certa ac reddiderint nota,
Expreſſo tamen haud nomine proferunt.
Sed nos nil temerabimus,
Si quæcunque tui poſſumus indices
Arcani celebris nouis
Aptamus fidibus nomina, conſcij
Quæ ſint dicta prioribus,
Quos doctos legimus, quos ſequimur duces
Sanctos quos colimus Patres,
Et gratos penitus quos tibi nouimus.

Quare

Quare haud dicere ſit nefas
  Te iam propoſitis nominibus, Deum.
Te vt cantarier audias
  Iſdem nominibus quæ bonus approbas.
O ſalue SACRA TRINITAS
  Non mas, non etiam femineum genus:
Aſt & femineum tamen
  Sanctum quidquid erit, non aberit tibi:
Quidquid maſcula vendicat
  Virtus & celebrat, tu proprium probas.
Sic te femineis licet,
  Sic te nominibus dicere maſculis
Cùm tu ſis neque femina,
  Nec noſtris maribus tu ſimilis quoque,
Et cùm ſis tamen omnia
  Quæ laudanda genus vendicat alterum
Et quæ vendicat alterum,
  Nec te contineant aut numeri aut modi,
Qua perfectus & integer,
  Qua ſimplex, ſolidus dicere & optimus
Maieſtas tua (qua mihi
  Nil ſummum magis eſt, nil magis arduum,
Æquè difficile & nihil)
  Exponenda meum conſilium opprimit,
Fauces vox quoque deficit,
  Optat perpetuum & lingua ſilentium:
Sed mentem extimulat Fides
  Et vocem ciet, atque excitat intimis
E cordis penetralibus,
  Vt tantum libeat noſcere dulcibus
De te & ponere verſibus,
  Laudando canere ac numine de tuo
Quantum lex venerabilis
  Et cultus ratio poſtulat & monet.
Sed quid dicere poſſumus,
  Quid ſentire humiles munere de tuo?

Cùm præſtantia ponderis,
   Nec contacta tui nec ſubita, obruat
Senſum præcipitem priùs
   Quàm limen penitus tranſeat exterum.
Nam quid non ſibi conuenit,
   Quod natura potens iungere pernegat,
In te conuenit vnicè,
   Æterni & ſociat munere fœderis.
In te libera partium
   Nuda ac ſimplicitas nomina plurium
Admittit petit ac libens
   Et ſimplex remanet commoda pluribus.
In te indiuidua vnitas
   Atque expers numeri eſt, & numerum excipit.
Néc perdit numerus vicem
   Aut turbat propriam; nec ſolida vnitas
Admiſſo numero effluit.
   Tu ſic trinus eras, vnus eras Deus,
Sic vnum vt melius nihil
   Nil vt ſimplicius vel magis vnicum;
Conſtare aut numerus queat
   Trinus vel melior vel numeratior.
SALVE ergo vnica TRINITAS,
   O trini numeri compos & VNITAS,
Vnus, Trinus item Deus,
   Seu te, ſeu placet vt vos potiùs vocem,
Siue vtrumque probaueris;
   Et te & vos veneror pronus & inuoco.
Vnum te colimus Deum,
   Perſonas colimus tres Deo in vnico.
Te nunquam genite ô Deus,
   Et ſemper generas qui tibi comparem,
Et qui ſemper amas Deus;
   Æternumque Deum quem genuit ſacer
Te, & ſemper generat, Parens,
   Et qui ſemper amans diligeris quoque;

Te quem

Te quem cum Patre Filius
    Spirant perpetuò, dulcibus optimum
Doniſque innumeris Deum,
    Amborumque pari numine vinculum,
Spiratum penitus Patri,
    Spiratum penitus Filio & vnico,
Ipſum quo ſe & amat bonum,
    Et quo fertur amans alter in alterum,
Quos tu diligis & duos,
    Illi & quem redamant; ſic tribus vnicus
Conſtat perpetuuſque Amor.
    Sic nec vos numerus diuidit vt Deos,
Nec ſimplex negat Vnitas
    Perſonis numerum ponere cognitis.
Tantum relligio vetat
    Arcani ſpeciem quærere vel modos,
Nullæ cuius origines,
    Nulla & conſtitui cauſa poteſt prior.
Namque æterna prioribus
    Prima & cauſa nouis principiis caret,
Mortaliſque oculus nequit
    Illuſtrem faciem cernere numinis,
Contentus præeuntia
    Proſpexiſſe Dei terga notabilis;
Si diuina manus tamen
    Dimotis nebulis eripiat metum,
Errorumque nocentium
    Offuſas tenebras diſcutiat potens.
ERGO dicere quæ licet
    De te, tu bonus & perfacilis tuis
Expreſſiſſe fidelibus
    Et narraſſe piis crederis omnia,
Quæ mox tradita poſteris
    Dum mens arbitrio concipit optimo
Et certa & ſacra competit,
    Naturæque tuæ viribus aſſona.

Nam nec ſtare valet Deus
Vt non ſit ſapiens; nec ſapientiæ
Eſſe exors ſapiens poteſt.
Si deſit ſapiens, quæ ſapientia
Vſquam exiſtere creditur!
Et qui ſit ſapiens & Deus & bonus,
Hunc non dicere amabilem
Et mens & ratio & candida veritas
Conſtanter negat & cauet,
Semotumque ſuis legibus abrogat.
Sed quis te mage diligat,
Quàm qui te meliùs nouerit optimum?
Aut cui tu mage cognitus
Quàm ſis ipſe tibi, cui mage amabilis?
Ergo ceu penitus tibi
Notam percipiens ipſe foues tuam
Dilectam ſapientiam,
Sic te quiſque ſapis, quique & amas, colis
Dilectum Sapientia.
Ambos vnus Amor nectit, Amorque amat
Ambos, diligiturque item.
Eſt ergo Sapiens, eſt Sapientia,
Atque eſt vnus AMOR Deus,
Cantandus triplici nomine, at vnicus.
Sed num ſtultitiæ furor
Damnando calidus nos rapit impetu,
Mortales cupere edita
Inſpectare poli ſanctaque limina?
At quid nam potiùs velit
Mens quæ noſtra Dei ducit imaginem?
Aut hanc quid deceat magis,
Aut quod nam ſtudium nobilitet priùs,
Quàm ſi principium ſuæ
Authoremque ſacræ quærat originis,
Et notum colat atque amet
Exemplar proprium, fallere & horreat?

Dum

Dum quid ſcire nefas, memor
Obſeruet, poſitos ac teneat modos,
Signat quos pietas monens,
Nec lucem penetret, ſed capiat ſibi, as-
Cenſæ ac luminibus facis
Vtatur proprio in munere præuiis.
Nam mens ad tenebras negat
Se natam, tenebris nil magis horridum,
Nil ſentit mage vel graue.
Mens & lucis amans & cupiens auet
Alma luce magis nihil.
Mens verum ſequitur, quærit & inuenit,
Inuento & fruitur libens
Vero, ac reficitur lætaque fungitur.
At nil verius eſt Deo,
Nullum eſt párve bonum vel ſimile in bonis,
Cui nullum exterius genus
Componenda poteſt reddere lumina,
Huic nil ſiſtere proximum
Naturæ in variis ordinibus valet:
Nam finita manent procul,
Et cedunt poſitis omnia legibus
Illi, quem neque terminus
Nec menſura capax vlla coerceat.
Huic conſtat ſolidè efficax
Virtus, huicque potens plena Potentia,
Huic eſt & proprium Decus,
Atque expers maculæ puraque Sanctitas.
Quare & nil cupiat magis
Nil optétve animus dicere promptior
(Clauſus legibus at ſuis)
Quàm quo nil melius, verius ac nihil
Noſci aut dignius autumat,
Nec quid pulchrum adeò credit amarier.
Sed nec rectus amor ſapit
Ignorata ſibi, diligere aut probat,

Atqui poſcit Amans Deus
  Humanam ſobolem, ſe redamarier,
Et quod ſit ſatis indicans
  Noſcendum proprij numinis explicat.
Quin & nil magis expedit
  Quàm nouiſſe bonum diligere ac Deum.
Nam quos ſola beatitas
  Exornare valet, reddere & integros,
Hos inquirere oporteat,
  Qua poſſint meliùs ſorte bearier.
Atqui hoc ſolus agit Deus,
  Iis queis ſe facilem nominibus probat.
Humano generi is Patrem
  Seſe ac dat patrio munere prouidum.
Idem, Filius vt Patris,
  Fratres conciliat, quos ſibi comparat,
Adiungitque homines ſibi ac
  Gaudens ipſe Patri ſiſtere filios,
Et curans fouet efficax,
  Et regni eſſe iubet participes ſui.
Idem Spiritus atque Amor
  Humanos animos afflat & imbuit,
Quos ſeptemplice promouet
  Dono, ac tergeminis conditionibus
Auctos atque opibus bonis
  Mortalem vlterius tranſuehit aleam
Et reddit ſuperis pares,
  Hæredeſque Dei ſedibus aureis
Templo in perpetuo locat,
  Diuiniſque epulis dat ſaturos frui.
Ergo principium boni
  Auctorem & proprij quærere fas piis
Et ius mentibus integris,
  Fas & ſcire quibus conueniat modis
Hunc notum petere, & quibus
  Placare & facilem reddere; dum nihil

Quod

Quod non ipſe probauerit,
Mens humana velit, vel petat inſolens:
Illud ſed ſibi poſtulet,
Quo ſit docta magis, grata magis DEO.

4. DEO PATRI HYMNVS.

QVEM cuncta mundi à principio extimo
Non finiendis laudibus indicant,
Quæcunque tellus, humor, æther
Perpetua aut variata claudunt,
Illum canendi quo excipiam modo?
Qualíve dicam pondere nominis?
Vitæ reperturus minora
Tempora principiis loquendi.
Sed num probando deſtituar metu,
Laudes colendi dicere Principis?
Atque vnus in mundi canentis
Ordinibus variis tacebo?
Nec luce dignus nec ſerie infima
Rerum viderer, quas polus ambiat,
Ni debitor certus ſtuderem
Ponere perpetuos honores.
Votiua templis lumina lampadum
Aure nitenti quamlibet ardeant;
Admittit in lucem dicatas
Ara breues tenueſque ceras.
Ergo beatum qui arbitrium tenens
Auctor bonorum nullius indiges,
Nullíve debes, atque cuncta
Efficis, ac reficis benignus.
Qui parua magno ex pondere munerum,
Queis ipſe comples omnia, poſtulas;
Accepta in ipſos & refundis
Vnde capis cumulaſque felix.
Adſis probator, particulam & breuem

Doni,

Doni, mihi quod contuleras volens
Admitte, detritam ſed huius
Ingenij vitiiq́ue culpa.
Qua fronte cæli ſingula conſpicis
Noto & recenſes ſidera nomine,
Nec ignis extinguis minuta
Lumina, nec pateris vacare.
Stagnis ab amplis, nubibus ac tuis
Exhauſta nunquam flumina ſufficis,
Idemq́ue deducis meatum
Fontis aqua trepidante riuum.
Primùm illa magnis peruia commodis,
Tandem paterni regna petunt ſali,
Mutare cuius nec ſaporem
Nec ſpatium ſuperare poſſunt.
Deducta riuis lympha nitentibus
Et prata ſucco florida fertili
Permiſcet, & turmis volantum
Pocula cum gregibus miniſtrat.
Sed nec tuus mos, cernere quæ tibi
Donantur, arctis ponderibus; leue
Nil non futurum eſt, ſi probare
Lance tua bona noſtra tendas.
At nuda rerum ſimplicitas tibi
Sanumq́ue mentis propoſitum placet
Pro debitoris conferentis
Viribus obſequioq́ue puro.
Sic ipſe rebus vel minimis graue
Pondus reponis, vel numerum tua
Virtute producis, paremq́ue
Eſſe iubes obolum talentis.
Nam quid tibi vel ponere vel dare,
Si cunctus orbis ſe dederit, valet?
Tu quid vel expectabis omni
Quem reficis recreasq́ue ab orbe?
Cùm nil haberet, cùm foret hic nihil

Mundus

Mundus, modò qui continet omnia,
Tu poſſidebas cuncta compos
Ipſe tuo inuariata iure.
Ortum negabat vis tua tunc tibi,
Cùm nata nondum tempora currerent;
Mutare nec te ſecla poſſunt,
Nec poterunt caritura fine.
Tunc & nitebas (nunc etiam nites)
Nil cùm niteret; ſi niteat nihil
Orbe ruinis iam ſepulto
Ipſe tuis opibus nitebis.
Et ſanctus ipſe & purus & integer,
Et ſanctitatis perfluidum mare,
Exors modorum littoriſque
Eſque & eris Deus & fuiſti.
Quæ ſceptra regni prouidus obtines,
Nunquam vacarunt imperio tuo:
Si totus extinguatur orbis,
Rex eris, ac locuples manebis.
Et ſolus omnem tu ſuperas locum,
Cæliſque ſurgis altior arduis,
Veſtigium idem figis imo
Longius vlteriuſque centro.
Incomparandæ fons ſapientiæ
Immenſa profers flumina lucidus,
Quæ ſolus & vadare poſſis,
Excipere & penitus reducta.
Te ſemper anteit copia ſarcinis
Multis onuſtum læta humerum premens,
Cui prompta ſuccedit, tuoſque
Dexteritas bene docta nutus.
Præcedit ingens has Bonitas tua
Lactis refundens flumina candidi,
Hæc cuncta diſponit regitque,
Et recreat reparatque cuncta.
Prudentis hæc & conſilij foris

Intrat

Intrat recludens, & ſtatuit ſciens
Decreta, & exercens ſorores
Vrget opus, nihil abnuentes.
Tu cuncta ſolus maxima maximus
Æternus vnus nomina poſſides,
Sed Largitatis numen amplis
Muneribus decorare gaudes.
Largè benignum cùm placuit tuum
Monſtrare nomen, quæ fuerant nihil
Exſtare formator iubebas
E tenebris reuocata primis.
Virtute Verbi cuncta micant tui
Quæcumque lucem cernere iuſſeras,
Et viſa nunquam, das videri,
Quæ ſubitò fabrefacta conſtant.
Sed cuncta vicit, puluere quem leui
Formator ipſe & fingere prouidus
Curas, vt alti ſit imago
Sancta Dei, & referat magiſtrum.
Hoc ipſe magnis muneribus foues,
Charum tibiq́ue hoc deligis, hoc opus:
Huic regna terræ, huic cuncta ſubdis
Æthera quæ & pelagus pererrant.
At tortuoſi fraus colubri inuida
Abduxit alto de imperio caput,
Humana quo regnabat antè
Progenies, periitq́ue primo.
Illum reiectum ſedibus è ſuis
Preſſit trecentis aucta laboribus
Mors impotenti ſæua fauce
Flamiuomo inſatiata rictu.
Preſſere quanta heu damna hominum genus,
Poſtquam decoris muneribus carens
Infecit ingrati pudoris
Fæx ſpecie maculata turpi.
Miranda, ſed tu, quem ſapientia

Virtuſ.

Virtuſque certis nutibus efficax
Regem, ſupernæ ſedis vnum
Legitimum & dominum probabat,
Dicti potentem & propoſiti boni
Vltra tenacem ſiſtere te volens,
Monſtrare pertendis benigni
Nomen & officium parentis.
Hunc, antè terris quem dominum dabas,
Cui ſæcla Regi cuncta animantium
Auctor iubebas imperatis
Prouinus obſequiis adeſſe.
Hunc regna cæli, (quæ tibi conditor
Selecta ſedi ſtatueras volens)
Ciuemque & exſpectare Regem
Prouidus inſtitui iubeſque.
Aſtuta quantum Luciferi valet
Mens inquietis voluere ſenſibus,
Quò tenderet vox hæc, tuumque
Conſilium, eſt nihil aſſecuta.
Illum ſuo quem ſubdiderat iugo,
Quem lege dicti poſſideat tui,
Hunc iure poſſis vindicare
Arbitrio Deus approbando.
Matura ſed cum tempora proſperæ
Fulſere lucis, cumque ſalubribus
Sol ortus orbi affulſit alis,
Et miſeras pepulit tenebras:
Cùm grata Pax, cùm candida Veritas,
Immunis omni & gratia debito
Cæli reſidentem ſupremo
Æthere iuſtitiam vocarunt,
Tunc efficacis munere conſilî
Natique gratis officiis tui
Antiquus vnà exſtinctus Adam
Filius emicuit tonantis.
Iam vidit atris hoc oculis ferox
Serpens

Serpens amaro & pectore pertulit
Conatus ac turbare, ſtruxit
Ipſe dolos gemuitque feros.
Dixitque frendens, Heus ſapientiæ
(Nobis fuit quæ prima ſuperbia)
Nunc laude victi, nunc ligati
Cedimus exuimurque regnis.
Damnata lethi ſæcula legibus,
Et vinctâ mortis carcere in infimo,
Virtute quis vnquam nouanda
Mortis & arbitrio putaret?
Ergo tibi quid ponere muneris
Auctor deorum magne hominum queam?
Quæ gratulatum dona promptum
Artifici ſiſtit opus colendo?
Imò petendum quæ potiùs precer
Iſta beatus quod referam manu?
Palma manu quæ amplexa totum
Exuperat digitiſque mundum.
Numen precabor, magne Pater, tuum,
Reddas benignum te ac placidum mihi,
Quem multa conſcripſiſſe natis
Conſcia culpa tuis vetaret.
Inter minores, quas operas bonus
Admittis, agro da numerer tuo,
Ædeſque vt inuiſam paternas,
Vnde priùs miſer exulabam.
Sperare certum eſt (ſi ſemel intimo
Signes receptum pignore ſpiritus)
Me liberandum lege ab arcta
Corporis hanc animam prementis.
Doni tui tunc munere principem
Humana cui iam præmia ſordeant,
Mixtumque natorum beatis
Participem fore me choreis.
Tunc illa doctus carmina concinam,
Quæ

Quæ filiorum grex celebrat pius,
Dictataque ediſcit refertque
Vocibus & modulatur aptis.
Namque illa noſtros non ſubeunt modos,
Nec ſentit auris cælitibus minor,
Deprompta quæ ſanctis tuorum
Pectoribus celebratus audis.

5. AD VERBVM HYMNVS.

Ode Dicolos Tetraſtrophos.

DICERIS proprio carmine poſt Patrem,
Quamquam nec iunior ſis Patre nec minor,
Verbum, ſi dederis dicere quod tibi
Poſſim, munere de tuo.
Splendens namque tuæ candida fax niſi
Lucis pectoribus fulgeat intimis,
Nullam noſtra minor de ſpecie tua
Partem cernere mens valet.
Æternum quis erit qui penetret diem
Immunem tenebris, nubibus inuium,
Nullæ quem propriis enumerant citæ
Horæ, nec variant notis?
Quis ſignare locum, quo ſine terminis
Immenſi ſolij par ſpacium tenes
Illi, quemque Deum, quemque Patrem refers
Ipſe & Filius & Deus?
Idem nam Genitus qui Pater es Deus,
Atque idem Deus eſt cum Genito Pater,
Et vos eſſe duos numine ſimplici
Semper certa docet fides.
Sed qua voce canam, vel numeris quibus
Ortus principium, principiis carens,
Quo te mirificum protulit, ac ferax
Profert perpetuò Pater.

Cum non mundus erat, magnus erat Deus,
Et ſolus Deus is tunc erat omnia,
Et nunc cuncta tenet compote numine
Quæ ſunt, quæ fuerunt, erunt.
Expers præteriti temporis ac modi,
Præſenti fruitur perpetuus bono,
Expectatque nihil, nilque habuit prius
Quod deſideret aut petat.
Conſtans ipſe ſui cognitor, vndique
Se ſummum tenet, atque vndique maximum,
Integreque potens numine cætera
Metitur ſimul omnia.
Sic dum ſe videt is, cætera dum videt,
Effert effigiem perſimilem ſui,
Hanc ille effigiem percipit obuiam,
Hac ſe percipit obuium.
Vt mens ipſe Deus dicitur integra,
Sic eſt integra mens effigies Dei,
Ambo ſunt animus, quo Deus & ſapit
Vnus quique ſapit Deus.
Idemque eſt animus, mens eadem, Pater
Simplex mens eadem Filius eſt Patris,
Quam notusque Patri eſt Filius, vnico
Tam Nato eſt Pater agnitus.
Nam ſi cum placida certus imagine
Reſpondet liquido vultus in æquore,
Natura ingenium par & imaginis
Et vultus daret illius,
Conſtarent penitus perſimiles duo,
Atque idem foret is cuius imaginem
Verax lympha refert, atque eadem ſuo
Cum vultu effigies foret.
At quodcumque Deo prædicat inſitum
Mens humana modis docta fidelibus,
Hoc aut eſſe aliud dicere quàm Deus,
Aut diſiungere ſit nefas.

Ergo

Ergo quidquid erat, qui genuit Pater,
Et VERBVM genitum Filius eſt idem,
Alter quod fuerat, quod fuit, eſt, erit,
Alterque eſt, erit & fuit.
Qui nouit Genitum, nouerit & Patrem,
Cui notus Genitor, notus & eſt ſimul
Natus: lumen idem cum Patre Filius,
Lumen lumine proditum.
Humana at variis mens ſita nubibus
Lucem non penetrat, quam Deus inſidet,
Quam compos Pater & Filius obtinet
Compos & propriam fouet.
Sic te dum ſtudio dicere ſedula
Verbum lingua cupit, vox canere incipit,
Perſtringens animum ſollicitat meum
Maieſtas Patris ac tua.
Sed Fas verba vetat quæ ſuperent notas
Humanas hominem fingere, nec ſinit
Puris cælicolûm qualia mentibus
Verba ſuppeditat Deus.
Nec neruis citharæ, nec fidibus lyræ,
Nec permixta gemens tibia nabliis
Aura concipiant huius ab ætheris
Quos dignè referant ſonos.
Dum maiora igitur nominis iſtius
Arcana inſinuans ſuggeris alteris
Verbis; parua bonus percipe quæ tibi
Parui ponere tendimus.
Te primo canimus ſidere, te die
Clara, te quoties Veſperus emicat,
Tunc cùm nox oculis pura frequentibus
Ridet, nube vel abditur.
Nam lux ipſa tuas nos memori iubet
Laudes aſſiduo & carmine dicere,
Per quem de tenebris lumina iuſſerat
Reſplendere tuus Parens.

Et lucens veluti Sol nitet aureus,
Et luſtrat radio tentat & igneo
Quidquid ſtelliferis clauditur orbibus,
Terras, monſtriferum & mare:
Sic ſplendore tuo protulit omnia,
Cuius perpetuò ſplendor eras Deus;
Sic virtute tua nutrit & educat
Quidquid mundus habet boni.
Prudens ille ſuam te Sapientiam
Virtutem propriam teque vocat Potens,
Iuſtus Iuſtitiam te memorat ſuam,
Te dicit Bonus & Bonum.
Æternis Domini conſiliis ades,
Ac decreta ſciens expedis omnia:
Nil dicit ſine te, nil ſine te facit,
Et firmat ſine te nihil.
Sed quò me ſtudium, quòve rapit furor?
Quòd mens læta ſacrum geſtit & incipit
Intrare vt videat, quàm vereor magis
Primo limine vt hæreat.
Nón hæc nunc tua ſors parce animę ô tibi
Sit nam velle ſatis; poſſe dabit Deus;
Vt det poſſe Deus dicere quæ cupis,
Votis & precibus pete.
Nam quod nulla priùs cernere ſecula
Sublimis potuit, nec ſuperûm phalanx
Diſtincta ingeniis ordine ab infimo
Ad ſummum valuit Chorum:
Vt rebus patrio crimine perditis
Dilapſiſque hominum multiplici malo
Magnus contulerit præſidium Deus
VERBVM vindice te Deo.
Vt tu quo ſuperis efficeres pares
Nos fratresque tuos; denique filios
Magno cuius eras Filius vnicus
Et Patri & ſimiles tibi.

Te no-

Te nobis ſimilem, te penitus parem,
Immunem proprij ſed vitij tamen,
Et dicite hominis volucris Deum
Eſſe & cætera filium.
Si tu Verbum animo (namque potes) meo
Hoc ſentire dabis, ſi Pater inſitum
Me firmet tibi, ſi viribus & tuis
Ramum non ſterilem imbuat.
Tunc, quas nunc cupimus dicere neſcij,
Laudes ipſe tuas vocibus alteris
Quas grex ille hominum paruulus audiat
Et certas referat, canam.

AD SPIRITVM SANCTVM.

AMOR continuus Patris,
Verbi perpetuuſque Amor,
Adſis, audi & amabili
Verſu te celebrari.
Sed nec dicere carmine
Te, nec noſcere poſſumus,
Veſtra ſacra canentium
Te ni mentibus indas.
Anguſtam ſubeas domum
Noſtri pectoris, hanc potes
Dilatare tibi, ac tuæ
Aptam ponere ſedi.
Te Pater capit integrum,
VERBVM te Patris & capit;
Totum te Pater obtinet,
Natus te obtinet ipſum.
Capax ipſe tenes Patrem,
Pleno ac numine Filium,
Idem tu Deus es Patri,
Deus Filio & idem.

Cùm Natum Pater inſpicit
Decori effigiem ſui,
Suum diligit is decus
Pulchrum pulcher amatque.
Patrem Filius vt ſui
Exemplar decoris videt,
Magnum Natus amat ſuum
Patrem ſic & honorat.
Suum diligit & Pater
Tuo munere Filium,
Bonus diligit & Patrem
Natus munere eodem.
Ergo munus es & boni
Nato miſſus Amor Patris,
Patri miſſus Amor & es
Munus Filio ab vno.
Ipſe diligis & Patrem
Deum, diligis ac Dei
Splendorem Genitum Patris,
Amat te quoque vterque.
Ipſi Amore calent tui,
Per quem ſe penitus volunt,
Bonus ſic & amas Amor,
Amas & redamaris.
Et qui diligitur Deus,
Et qui diligit eſt Deus,
Per quem diligitur Deus,
Et ſunt tres, Deus idem.
Sunt communia gaudia,
Quæ tu ſuggeris omnibus,
Et Nato atque Patri ac tibi,
Quæque illi tibi præſtant.
Virtus eſt eadem tribus,
Et ſimplex ſapientia,
Nec diuerſa benignitas
Vni de tribus vnquam eſt.

Namque

Nam que ſimplicitas vbi
Natura viget vnica,
Hic diſiungere ſit nefas
Vel quicquam variare.
Natum qui generat, Pater
Nunquam ſit genitus licet,
Et quanquam genitus Deus
Non Patris genitor ſit.
Quanquam quique & amant ſimul
Amorem ſimul efferant,
Nec illos Amor efferat,
Prolatus quibus extat:
Tamen non alius Deus
Eſt, qui vel generans amat,
Vel qui natus amat, neque
Eſt Amor Deus alter.
Vnus tres igitur, Deus;
Non Dij tres, Deus vnicus;
Vnus eſt Pater optimus,
Natus optimus vnus;
Vnus optimus eſt Amor.
Sic tres credere numine
In vno, docuit fides
Nunquam fallere docta.
Hoc tantùm excipimus trium
Certo nomine ſingulis,
Vt nec ſit Pater editus,
Hunc nec Filius edat.
Néve ſolus amet Pater,
Sed Natus quoque diligat,
Atque vterque ſacrum ſimul
Te producat Amorem.
Ames tu quoque, verùm Amor
Productus licet exeas,
Producas tamen haud duos,
Productus quibus exis.

Sunt at præterea tribus
Vobis omnia conſona;
Quicquid vnus, idem duo
Sunt, tres quicquid & vnus.
Diu quàm generat Pater,
Tam natus genitus diu eſt;
Hunc & hic amat, vnicuſque
Amor manat vtroque.
Quicquid vult Pater effici,
Vult & Natus idem, neque
Quicquam Spiritus haud cupit,
Quod vult cum Patre Natus.
Sed communia nomina
Sunt partita libentibus
Vobis, nomina virium,
Quas fert vnica virtus.
Sic tu dicere SPIRITVS,
Sic & dicere CHARITAS,
Dici ſic & amas AMOR,
Noto & flamine FLATVS.
Donum te canimus Dei,
Donorumq́ue potentium
Pleno munere copiam,
Theſaurumq́ue refertum.
Orbem muneribus tuis
Et bonis variis reples.
Manes plenus & integer
Donis cùm omnia ditas.
AQVIS VIVERE TV NOVI
Mundi principio dabas,
Idem lethiferas aquas
Terris pòſt remouebas.
Aulæ munia regiæ
Tenent qui superûm Chori
Certis ordinibus tuo
Præſtant omnia nutu.

Quod

Quod cælum fouet ignibus
Terras ac liquidum æthera,
Tot ridens oculis probat
Ac te cernit apertis.
Alarum placido ac leui
Venti murmure te ſonant;
Vndis te mare leniter
Ductis atque reductis.
Longè pulchra cacumina
Te inacceſſaque montium
Canunt, prata nitentia
Te, colleſque virentes.
Te ſeu molle fluens abit
Amnis, ſeu rapidus fugit,
Seu ripam ſuperat pagus,
Notum ſeu tenet alueum.
Tu curſum Deus annuum
Horis compoſitis nouas;
Ignem, tardaque frigora
Iungens diſſocianſque.
Te monſtroſa natantium
Armenta & pecus humidum
Lato in Oceano canunt
Et littoribus vdis.
Diuerſis quoque veſtibus
Compta & garrula te ſono
Certans & numero impari
Vocat pennigera ales.
Audax te fera, te pecus,
Molles te celebrant greges;
Et quaſcunque parens alit
Tellus fertque animantes.
HVMANVM MAGIS AT GENVS
Lecti & progenies Sethi
Te fauſtum ſibi vendicat
Multo ac nomine ſanctum.

Hos tu dum tibi præparas
Gratamque inſtruis in domum,
Dum vis fingere ſingulos,
Dum componere & omnes;
Magnis imbuis artibus,
Arcaniſque foues modis
Cuſtos, doctor, & impiger
Dux, tutelaque princeps.
Inerti ingenio viros
Afflatu ſubitò edocens, *Bezelael*
Structores operum facis,
Mirandoſque magiſtros.
Senſum iudicibus probum
Præbes & ſapientiam, *Samuel*
Qua regant populi pij
Gregem legibus æquis.
Tu, cùm barbarus obſidet
Hoſtis & miſeros premit, *Gedeon*
Simplicem agricolam erigis
Duûm viribus auctum.
Hunc nec denſa nimis virûm
Armis vincere vis poteſt:
Hunc nec effugere arduæ
Valent fraudibus artes.
Antiquo celerem ſeni
Et laſſo reparas pedem, *Helias*
Quo præuertere regios
Currus ille & equos ſcit.
Iubes, intonat horridus
Æther, mons penitus tremit;
Minax irruit & mare,
Terram & perdere geſtit.
Minacis reuocas maris
Fluctus littore ab arido;
Idem ſiſtis & æthera,
Telluremque quietas.

Aaron

Quem volens tibi dedicas
Aptum Pontificem bonis
Auctor vngis odoribus,
Fratribuſque ſacrum das.

Propheta & Prophetides

Per te de grege publico
Raptus excipitur ſenex;
Seu quando iuuenis placet,
Siue lecta puella.
Hos terris quoque in infimis
Sano corpore viuidos,
Abreptos animo in tuas
Gaudes ducere ſedes.
Hos & dicere conſcios
Tuum conſilium iubes,
Quæque præteriti dies
Celant, quæque futuri:
Maiore hos quoque lumine
Longè diſſita cernere,
Velata ac tenebris facis
Et confuſa videre.
Non illos fugit abdito
Quicquid conuoluit ſinu
Tellus; non pelagus poteſt
Hos latere profundum.
Centum abſcondita clauibus
Regum conſilia ardua
Illis clara videntibus
Mouent irrita riſum.
Profutura colentibus
Nomen legitimè tuum,
Obfutura nocentibus
Dicunt plurima vates.
His interpretibus pios
Greges alloquere, & malo ab-
ductos tramite deuios
Palanteiſque reducis.

Per

Per hòs poſtera ſecula
Eſſe certa prioribus
Das, & quæ fuerant priùs
Reddis nota futuris.
Te docente nihil canunt
Quod diffingere vanitas,
Hoſtis vel mala quod queat
Vis turbare doloſi.
Nam tu tempora permoues
Fine ab vltimo ad vltimum,
Te nec tempora conuehunt,
Finis nec premit vllus.
Infantes poſitos quoque
Aluo matris in intima
Ipſe & exhilarans facis
Teſtes eſſe ſalutis,
Et matrem grauidam eloqui
Voce vatidica iubes,
Quæ latens vtero puer
Dat reſponſa tacendo.
Quem tu corripis, & nouis
Auræ flatibus excitas,
Hic cum diuitiis opes
Temnit ſceptraque regum.
Tuo munere adeſt potens
Plebeio eloquium viro,
Lingua cui ſapientium
Hærens mutaque cedat. *Apoſtolis*
Huic idem medicas manus
Et valentia ſufficis
Verba, quæ nequeat ferox
Orci euincere princeps.
Quis iudex ſimilis tibi
Arcano in folio ſolet,
Explicare latentia *Sermo ſapienti...*
Non tangenda profanis?

Nos

Nos nunc cortice in extimo
Verſamur tenues libri,
Libri, quo Deus abdidit
Quicquid ſcire piis fas.
Si quid proferimus tamen
Iuuet quod tibi deditum
Gregem, muneris hoc tui
Totum, & nos ſumus ipſi.
O, quæ ſpes animo excipit
Vota, ſi facilis probas,
Hæc ſi ſimplicitas placet
Vatis parua canentis,
Fac vt viuida charitas
Noſtris mentibus ardeat,
Quam non pectora ſordida
Continere valebunt.
Illa, quæ cupido Deo
Gratis ædibus excipi,
Componitque animos, bono
Exornatque nitore.
Huic & aurea gratia
Nuſquam non ſocia additur,
His eſt alma ſororibus
Mundo ignota comes Pax.
Quæcunque has facis hoſpites
Fauſtus pectora viſere,
Illa & inſtruis omnium
Cultu diuitiarum.
Tunc noto melius tibi
Auctis muneribus tuis
Laudis principium magis
Gratum concipiemus.

DE ANGELIS.

Carmen Dicolon Tetraſtrophon.

AVDIREM celebri à vate libentius
Audax quàm tenui carmine dicerem
Quam ſortem ſuperæ & qualia cælitum
Mentes munia diuidant.
Quis flammam rapidi fulguris igneam
Impunè penetret? quis queat aſſequi
Ventorum celeres multaque fulgidas
Pennas, ferre vel impetum?
An quæ viuificum conſpiciunt Dei
Vultum perpetuò lumina, quæ ſacro
Adſiſtunt ſolio, cernere turbidi &
Mortales oculi valent?
Quin ipſæ numero non numerabiles
Summæ multiplicis muneris & chori
Obſeruare auidum & pandere carmine
Turbant ingenium mihi.
Demonſtrare ſuas cùm voluit Pater
Et virtutis opes & ſapientiæ,
Ac proferre ſui participes boni,
Hoc primum dedit hoc opus.
Nec mortale genus, nec generabile
Expers connubij, nil epularum egens,
Aptum ſcire boni conſilium (tamen
Quantum fas moneat) Patris.
Diſcretos variis ordinibus tenet
Exercetque ſacri regia principis,
Et cura, & poſito munere dirimit
Diuerſoque locat gradu.
Sunt omnes habiles, excipere & valent
Regis iuſſa ſui, mutuo ſe audiunt,
Quamuis nulla ſonant verba, nec vſibus
Linguæ interpretis indigent.

Gaudens

Gaudent carminibus dicere Præſulis
Et laudare ſui numen amabile;
Et parere homines perpetuo Dei
Exemplo imperiis docent.

DE ANGELORVM MVNERIBVS & officiis.

Sapphicum.

QVIS modum, iuſtam ſeriemque veſtris
Laudibus verſu tenui reponet
Conſili ô ſummi celeres miniſtri,
Participeſque.
Vos Pater cæli, & ſator efficacis
Luminis primos dedit emicare
Viribus promptos variis, neque vna
Sorte decoros.
Iuſſit at certis vicibus probandi
Muneris cunctos hominum ſaluti
Ponere iniunctas operas, minoris
Gentis in vſum.
Veſtra mortales oculos imago
Viſa nunc terret, penitus iuuat nunc,
Splendet ardenti ſinuoſa luce &
Candida veſtis.
Vos vident vates gregibus choriſque
Sedulos aptis ſolium Tonantis
Prouido ſemper decorare cultuque
Officioque.
Quin & integri pueri patronos
Sentiunt partem numerumque veſtri
Semper adſtantem ſuperumque regi
Grata loquentem.
Gentibus fidos voluit Pater vos
Eſſe tutores; grauibuſque Perſis
Hos bonus mandat, ſobolique Iauan
Præficit illos.

Millibus denis decies reductis
Ducit inſtructas acies Deus, cùm
Explicat veſtras copias in altis
Ætheris oris.
Punit his ſæuos domat & tyrannos,
His premit reges nimium feroces,
Vltor oppreſſas animas piorum
Reſque tuetur.
Vos & audacis furias Satanæ
Frangitis fortes, tumidamque fraudem
Et doli occultum laqueum maloſque
Rumpitis orſus.
Ne viris obſint, noceántve iuſtis,
Hic tenet ſæuam rabiem leonum,
Ille fornacis iubet innocentes
Feruere flammas.
Inuidas curas demit hic metumque,
Atque ſecuros facit vſque vates
Impias regis malè pertinacis
Spernere voces.
Vatibus certum retuliſſe dictum
Fertur ex vobis aliquis: Futuri
Præſcios morum pueri parentes
Efficit vnus.
Teſtibus vobis pecorum magiſtri
Virginis purum didicere partum,
Læta cùm cælo ſonuit beati
Gloria plauſus.
Vos reuiſentem ſua regna Chriſtum
Arbitrum vaſti dominumque mundi
Indices turbis comitum fideli
Voce refertis.
Huic & in terris humiles agenti
Seduli partes famuli obſequentem
Vos Dei iuſſis operam que promptam
Sæpè tuliſtis.

Nunc

Nunc & hunc magni Patris aſſidentem
Dexteræ gratis numeris modiſque
Principem ſemper celebratis almæ
Carmine laudis.
Poſcimus (quantum valet efficax vis
Supplicis voti ſtudiumque iuſtum)
Læta virtutis monumenta noſſe &
Munera veſtræ.
Vos duces nobis maris & viarum,
Vos boni authores petimus benigni &
Nuncij, & verbi comites ſalubris
Præſidiique.
Ferte ſolamen miſeris, dolentum
Siſtite & mœſtos gemitus; pauorem
Tollite afflictis, medicique ſæuos
Pellite morbos.
Vtile & quantum dedit ipſe primus
Conditor vobis gerere & ſecundis
Partibus poſſe officiiſque noſtras
Fundite in vrbes.
Bella, terrores, alia & laborum
Pondera, vrentes celereſque flammas
Fulgurum, terræ, pelagi, ac minaci
Murmure motus,
Quidquid in iuſtas hominum ruinas
Fertis, vltoris monitum ſecuti
Iudicis, cuius reſolutus iram
Contremit orbis,
Ferte in inuiſos ſocios negantis
Veſtra Sadoci bona, ferte in hoſtes
Nominis Chriſti, genus ac Togarmæ, &
Regna Thiracis.

AD MICHAELEM ARCHANGELVM.

Carmen Tricolon Tetraſtrophon.

ASSVETE bellis impiger hoſtium
Victor, ſacrato qui geris arduas
Sermone pugnas, & ſeueris
Caſtra fugas inimica verbis.
Te dum modeſto carmine dicimus
Læti ac trementes, prouidus aduola,
Paruæque magnum comparare
Te citharæ ac tua dona, parce.
Fas explicatas ſit mihi copias
Cælo micantumque agmina militum
Cantare, productaſque campis
Æthereis duce te phalanges.
Fas & ſupremi nomina Principis
Audire toto dum reſonant polo,
Inſcripta veſtris & videre
Ordinibus variiſque ſignis.
Nec me pauentem relligio vetet
Stellas reiectas cernere, & impetum
Sentire, & immanem ruinam
Luciferi, exitiumque præceps.
Delectus vno de numero chori
Antiquiorum dicere principum,
Cui numinis mandet miniſtro
Iura ſui Deus aſſerenda.
Ille & frequenti dote ſuperbiens,
Claræque ſortis lumine turgidus,
Donantis oblitus Patroni
Omne ſibi decus arrogabat.
Faſtidienti viſa nimis ſui
Anguſta ſedes & ſeries loci,
Et ſordet, & deſerta friget
Et ſinitur ſtatio vacare.

Nam

Nam cur futuro nos hominum gregi
Tanto priores diſſimili & gradu,
Dicebat, addictos miniſtras
Cum ſtudiis operas feremus?
Natura cunctos afficiat ſua
Et culta iuſſos tranſiliat modos:
Nec, cui licebit plus valere,
Ingenio iaceat quieto.
Ingloriæ nil diſtat inertiæ
Contenta virtus limitibus ſuis,
Maiora tentare, & negata
Quærere magnanimos decebit.
Non vna tantùm cura volentibus
Regnare conſtet: ſpernere & infimos,
Contendere in laudeſque ſummas
Expedit & ſuperare cunctos.
Sit cæterorum libera cælitum
Mens, & notatis integra terminis;
Non illa noſtris conferenda
Luminibus radiiſque fulget.
Certè relictis officiis mihi
Ex Conditoris lege recognitis,
Non ipſe noſtro vt perfruatur
Gens hominum patiar labore.
Immo minores non patiar meas
Laudes putari laudibus editi
Cælumque voluentis profundum
Numinis imperioque ſummi.
Virtutis & ſi non valeam Dei
Æuíve laudi ſiſtere me parem,
At multa prudenter ſcientis
Nomine non referar ſecundus.
Audita magno vt vox crepuit ſono
HILEL tumentis munere credito,
Seceſſit in partes furentum
Spirituum numerus proteruas.

Hîc tu beata cum comitum manu
Intaminato lumine fulgidus
Summi Parentis vindicabas
Sceptra potens, ſolidoſque honores.
Naſcentis orbis temporis & noui
Momenta primùm prælia ſpiritus
Videre veſtra atque Angelorum.
Diſſidium penitus reciſum.
Videre partis præcipuum tuæ
Robur domantis Luciferum & feros.
Conſentientum pertinaci
Conſilio cuneos prementis.
Hortaris idem dum ſocios graui
Terres, & idem carmine perfugas
Vno, tonabant approbante
Cum fremitu noua ſepta mundi
Namque arma dum tu & prælia conſeris,
Clamas, QVIS vſquam FORTIS VT eſt DEVS?
Regi quis alto comparandus?
Quiſve decus feret huic propinquum?
Expulſus amplo Lucifer æthere
Præceps beatis exuitur bonis,
Inſanientiſque hunc ſecuta
Turba ruit ſpoliata vulgi.
Impœnitenti propoſito ferox
Exul profundas in tenebras abit
Pœnaſque decretaſque flammas
Tartareis manet in catenis.
Tunc deſtinati laurea præmij
Siſtit merentem te ſuperum Patri,
Qui gaudet ornatum decoris
Michaëlem titulis vocari.

BENE-

BENEDICTI AR. MONTANI SECVLORVM LIBER I.

DE MVNDI FABRICATIONE.

Carmen Dicolon Diſtrophon.

ALME opifex mundi, primæve lucis origo,
Et vitæ fons fine carentis.
Nos mortale genus cæca caligine merſi
Quid magnum, quid dicere de te
Poſſumus ignoti nobis, proprijq́ue decoris
Obliti, vitiiſque ſepulti?
Non apti exiguam partem nouiſſe tuorum
Factorum, niſi commodus ipſe
Cuncta admiratos doceas, quæcunque tui ſunt
Facta manu virtuteq́ue Verbi.
Nec mare, nec cælum fuerat, nec prodiga Tellus,
Nec ſpatium, nec temporis ordo.
Omnia nil fuerant, nihil & per inane vagatum
Voluebat tenebraſq́ue Thohuq́ue.
Ipſe tuis opibus diues, Rex, omnia ſolus
Qui poteras bonus atque beatus,
Vmbram aliquam ſpeciemq́ue tuæ virtutis & ampli
Numinis extare efficis author;
Cui priùs eſſe iubes aptam ſedemq́ue domumq́ue,
Hancq́ue paras & prouidus ornas.
Tecta ſuperna poli primum ſubſtrataq́ue terra
Sunt opus, & vis mobilis vndæ.
Dicis, & informes pellens lux pura tenebras
Diſiungit noctemq́ue diemq́ue.

Dimidium perfuſa orbem completque fouetque,
Et verſata locum tenebris dat.
Tum ſubducta ſinu vndarum fæcundaque Tellus
Semine multiplici gramis exiat.
Hinc geminæque faces cælo enituere ſereno,
Vna diem præclaro lumine
Sufficit, vna vmbras triſtes noctemque pauentem
Solatur vario vaga vultu,
Præſcriptaſque vices, atque anni ac temporis horas
Vtraque ſortiturque regitque.
Innumeri ſtellarum oculi terraſque iacentes
Deſpiciunt, pelaguſque refuſum.
Et micat, & ridet cælum, nutuque potenti
Cuncta fouet flammiſque coruſcis.
Fronde nemus varia ornatur, ſurgitque virenti
Herba ſolo, fert gramina pratum.
Decurrunt fluuiis lymphæ, vitreumque liquorem
Suppeditant terraque marique,
Vbera multiplici ſucco diſtenta refundit
Terra parens, fructuſque miniſtrat;
His viuūt armenta feræ, pecorumque volucrumque
Omne genus, quod protulit ipſa
Dicto facta tuo parens, vaſtumque per orbem
Ingeniis variata locauit.
Quale decus tenet ipſe author, tā pulchra poteſt qui
Ex nihilo efficere atque tueri.

DE OPIFICIO HOMINIS.

Carmen Sapphicum.

MAGNE terrarum liquidique cęli
Conditor, cuius ſapiente dicto
Conſtitit, quidquid variis in orbis
Partibus exſtat:

Vnde

Vnde ego primam capiam benigni
Nominis laudem, ſolidíque honoris,
Cui neque aut primus datur aut ſupremus
Terminus vnquam.
Quippe te prorſus nihil indigentem,
Te tuis ſemperque opibus beatum
Cui dares tandem tua dona princeps
Iuuit habere.
Mente dum verſas opus affuturum
Diligis primus, variiſque rerum
Dotibus pulchrum ſtatuis nitere
Muneribuſque.
Viuidæ terræ tenue rubentem
Puluerem cernis madidique pondus
Temperas limi, atque habilis moueri
Ducis in artus.
Fictilem pulchræ ſpeciem figuræ
Suſtinet Tellus, ſed adhuc inerti
Frigore & creta ſolidum, nec aſpi-
rabile ſignum.
Author, huic ſenſus, bene & efficacis
Spiritus infers agilem teporem,
Qui ſubit cunctis penetratque viuax
Vndique membris.
Surgit authorem referens decoris
Artibus noſtrum genus, & verendum
Cæteris, quorum eſt propriæ parentem
Dicere terram.
Mentis hæc compos ſapientis, atque
Lux tuæ luci ſimilis refulget,
Cedere at prima in ſerie creatis
Iuſſa animis fax.
Fax priùs nullis temerata ventis;
Quæ ſacrum lumen tenueſque flammas
Tendere in cæli radiantis alta
Sidera poſſet.

Huic tuæ diuæ bene & efficacis
Gratiæ munus facilis bonuſque
Sufficis, per quam recolat beatæ
Munera vitæ.
Brachia & vultus oculi manuſque,
Viſque membrorum, ſerieſque pulchra
Edocent, quantus breuibus ſub antris
Spiritus inſit.
Nouerat ſortem propriam, ſecundo
Cui loco nullum reperit priorum
Vſque viuentum; quibus ipſe certa
Nomina dixit.
Ille cæleſtes gradibus locatos
Spiritus norat, tenuitque nomen
Proximum, largis opibus benigni
Numinis auctus.
Ille vbi grati requiem ſoporis
Senſit, humanæ ſoboliſque matrem
E ſui cernit lateris recentem
Surgere coſtis;
Gaudet aſſerti generis recepta
Spe, Pater primus, propriiſque curis
Hanc boniſque vnam ſtudiis vocati
Participem vult.
Hos Deus terris pelagique vaſto
Præficit regno, iubet ac ſecundos
Eſſe ſub cælo ſibi; queis honorem
Cætera præſtent.
Quid canens laudem celebremque pingues
Atque ridentes Orientis hortos
Efficax mira Domini quos arte
Dextera ſeuit.
Floribus, fronde ac foliis perennis
Luſus hic Veris fuerant amœno
Fuderat ſemper variata plenum.
Copia cornu.

Surgis

Surgit hic puro vitreus liquore
Fons, loci magnum decus; ille pulchris
Vberem plantis viridíque riuum
Sufficit aruo.
Inde & ignotis latebris receptus,
Quatuor felix variè iacentes
Irrigat terras, fluuioſque noto
Nomine donat.
Vnus ardenti pretioſus auro
Atque beryllo rutiliſque candens
Enitet gemmis bedolæque claro
Munere præſtat.
Hic ager curis penitus leuandis,
Hic & arcendæ fuerat ſenectæ
Vtilis, membris animoque in omnes
Vtilis horas.
Namque & exhauſtas renouare vires,
Addere & vitam poterat fidelis
Arboris fructus mediis petenti
Commodus hortis.
Quin & hic dulci memorata guſtu
Grata fucati & ſpecie coloris
Poma viſuntur, malè ſed doloſo
Noxia ſucco;
Quæ valent ſanas vitiare mentes,
Et mali expertem tenuiſque fraudis
Simplicem poſſunt animum improbando
Vertere ſenſu.
Omnibus primo licuit parenti
Fructibus veſci: ſacra mala tantùm &
Huius excepit Deus vltor omnem
Germinis vſum.

DE HOMINIS CASV.

Carmen Dicolon Diſtrophon.

EHEV quid trepidas pater?
Vmbras cur nemorum, cur latebras petis?
Quid vultus varius, neque
Certa ſede manens, nec placidus color?
Cur totis tremor artubus,
Quid tam ſæpè ſolum vertere? quid iuuat
Nulli credere te loco?
Vnde algens faciem ſudor, & indecens
Inſonti pudor inficit?
Quem vitas pauidus, quem metuens fugis?
Atqui nulla virentibus
Hortis conſpicitur bellua; nec tuum eſt,
Quas contemnere debeas,
Formidare metu præcipiti feras,
Cui ſubſunt animantium
Repunt quæque ſolo, quæque natant ſalo,
Ac te qui dominum tuæ
Mentis, quique dedit te fore principem
Terris & liquido mari,
Te præter, poſuit, quod caueas, nihil.
Nimirum proprius furor,
Et mentis ſolidùm libera vis tuæ
Peruerſo ſtudio intimum
Immiſere tuis viſceribus malum.
Hinc error quater improbus
Te per denſa agitat, vexat & impotem.
Sic te diſſimilem tui,
Horrendumque tibi te ac penitus grauem
Nec perferre volens potes,
Nec vitare miſer perfugere aut vales.
Ergo te vetitum nefas
Admiſiſſe tuus te pudor arguit,

Auſum

Auſum & tangere quæ Deus
Interdicta tibi poma ſacrauerat.
Succis quæ malè dulcibus
Mortis perpetuæ ſemina continent,
Immenſiſque laboribus
Olim ſepoſitas expediunt vias.
Quid tot profuit inſitis
Præſtare egregium viribus vnicè?
Quid penè ſuperis parem
Emeruiſſe Dei munifica manu?
Nec quicquam ſapientiæ
Conceſſis fuerat diuitiis frui,
Si præferre minacibus
Laudandi monitis legibus ac Patris
Intorti colubri dolos
Et fraudes libuit, credere ſi magis
Et ſentire magis placet
Quod linguæ geminæ callidus afferat
Sermone ancipiti Draco,
Quàm quod certa Dei vox prohibens cauet.
Nec tantis maculis notæ,
Nec tortis ſinubus flexus, & aſpera
Squamis terga rigentibus
Fallacis colubri te ingenium docent?
Nempe, tot faturo tibi
Perfuſoque ſacræ lætitiæ bonis
Hoc vnum deerat tamen,
Nouiſſe ancipitis experientiæ
Quid ſortes valeant dare,
Meratis cumuli aut addere finibus.
Hac nunc parte beatior
Auctuſque vſque magis, ſcilicet, emines.
Vt queis numen abeſt procul
Communem quibus & ſe poſuit malis
Te, qui viuere iuſſerat,
His tu plenus eas, votaque conſcius

Hoſtis

Hoſtis promoueas tui.
Venturo ac generi perpetuam grauis
Luctus materiam pares,
Addictæque malis vſque laboribus
Linquas hoc ſoboli pater,
Vt ſemper memorem pœniteat tui.

TERRÆ MATRIS QVERIMONIA ad Deum.

VIRTVTIS altæ & fons ſapientiæ
Qui cuncta magnis nominibus foues,
Clementiæ te ſed teramplis
Muneribus ſuperare gaudes.
Vindex iniquæ fraudis & efficax
Lucem remotis è tenebris dare;
Iniuriarumque & malignæ
Arbiter inuidiæ ſeuere.
Vides beatum quod ſteterat tuis
Sublime donis quod dederas opus,
Fallacis impulſu Draconis
Vt miſera pereat ruina?
Quem de recenti puluere finxeras,
Vnis minorem quem ſuperis dabas,
Quem læta promotum canebam
Mater Humus, cecidiſſe ploro.
Me, quam remoto ſubdideras loco
Rerum Creator, ſedibus infimis
Perſtare contentam valebant
Huius opum recreare honores.
Noſtris petitum viſceribus lutum
Cui numinis tu condideras tui
Senſumque & cognatum ſupernis
Prouidus ingenium cateruis.
Quicunque è noſtro prodierant ſinu;
Et qui propinquo de pelago greges

Auctore

Auctore te, ſceptro ac ſecundis
Legibus hic dominus regebat.
Interminatas aſſiduis opes
Huius iubebar fundere commodis,
Et Veris florentem nitorem
Perpetuo retinere vultu.
Dumque ille regni compos & integer
Staret receptis muneribus potens;
Et te reuiſentem beatus
Sæpiùs exciperet Magiſtrum,
Et te loquentem cominus omnibus
Audiret horis, cùm foret vtile,
Atque ipſa te præſentiore
Plenior auxilio experirer.
Inuerſa humanis protinus omnia
Semper gemendis ſentio caſibus,
Murmurque cælorum, graueiſque
Ætheris accipio querelas.
Coniurat omnis turba natantium
In peruicacis perfidiam ducis,
Ex meque prognatæ profanum
Diffugiunt dominum cateruæ.
Culpa ſceleſti me quoque filij
Contaminatam tædia commouent
Ingratiorem iam coactis
Protinus huberibus futuram.
Nam damna honoris depoſiti mihi
Vlciſcar amplis vſque laboribus,
Vdoque ſudantiſque anhelo
Sæpè hominis repetenda vultu.
Quin ipſe prauum cui libuit nefas
Mutare recti legibus ordinis
Seſe odit ac vexat pudendis
Sollicitus trepiduſque curis.
Ergo repulſo, quem bonus infimi
Sceptri iubebas ſiſtere principem,

Succedet introducta læuo
Mors ſcelere, & ſolium tenebit?
Fallax & anguis, qui ſapientiæ
Laudem petebat præcipuam ſibi,
Impunè iactabit, tui ſe
Conſilij temeraſſe pondus?
Impunè ſæuamque ille tyrannidem
Terras per omnes, perque hominum genus
Firmabit, incedetque raptis
Fraude mala tumidus coronis?
Audebit vſque ac dicere, vicimus,
Illumque noſtro ſubdidimus iugo,
Cui me Creator, cui miniſtros
Eſſe meos comites, volebat.
Ille ornet alti ſideribus poli
Regnum ſupremus, quod ſibi vendicet:
Mundi ſed huius compos ipſe
Dum fuerint homines, manebo.
Aut ipſe leges non foueat ſuas,
Et iura damnet quæ poſuit Deus;
Prudentiæ aut quod comparabam
Ipſe mihi, decus arrogabo.
Illius altæ vim ſapientiæ
Concinnus orbis comprobet: arduas
Humana ſors euerſa noſtri at
Ingenij memorabit artes.
Incontinenti frena ſuperbiæ
Offenſus iſtis inijcies Pater
En nunquam, & indignum nefaſti
Criminis expedies furorem.
Quamuis Adami progenies vbi
Non deſerendum prodiderit locum,
Nil ſeruet exempli, tuos quo
Continuet renouétve amores;
Iſtius almæ præmia gloriæ
Cedenda nulli proſpicies tamen,

Iſtud

Iſtud neque in ventos abire
Propoſitum patiere firmus.

DE HOMINE PECCATI ÆRVMNIS vexato, ac Verbi reprehenſione in ſpem reuocato.

Letale cùm iam primus homo inuidi
Mali venenum ſuxerat, aſpera
Mercede mulctatus receptæ
Mortis onus ſtimulumque ſenſit.
Orbatus almi luminis ignibus
Mortale cœpit cernere, & horrida
Miratur infelix timetque
Monſtra nouis metuenda formis.
Sed nil pudendum, turpius, heu, nihil,
Quàm ſe carentem veſte ſimul videt,
Horretque nudatum, paratque
Ipſe ſibi tegetem repertor.
Tum ſe videntis, voce tremens Dei,
(Virtute cuius vixerat antea)
Exoptat occultis latere
Conſcius ac ſatagit tenebris.
Nam, quæ reductum compulit in graues
Vmbras pauendi cauſa? quid accidit
Noſtram quod haud firmus tueri
Diffugias caueaſque lucem?
Iſtis nouum quis te artibus imbuit
Fallax magiſter diſcipulum, tibi
Aptare nudo vt ipſe zonas
Materie ex peregrina adornes?
Cauſari amatam deſine coniugem:
Præferre noſtris hanc monitis, viro
Quam finxeramus nos minorem,
Dedecoris ſceleriſque culpa eſt.
Hæc dira & vltrix quidquid agas miſer
Culpa inſequetur te & premet impotem

Ac Terra vexabit: parens nam
Quæ fuerat, grauis eſt nouerca.
Illa innouandis vſque laboribus
Exercitatum te dabit artifex,
Sentire quam ſtulto quietem
Spreueris arbitrio edocebit.
Traducere ægram ſi ſtudeas, potes
Vtcumque vitam, vitam hominis tamen
Vſu ac diebus terminatam,
Aſſiduiſque epulis egentem.
Non otioſo panis erit tibi
Quærendus ergo: namque frequens feret
Spinaſque vepres vt colono
Ipſa ſuo inſidioſa Tellus.
Hanc ipſe noſtris pollicitis benè
Confiſus vrge, atque his monitis doma,
Sudoris ac ne te improbæ vſque
Pœniteat vigiliſque curæ.
Authore donec qui loquitur, tuus
Mutatus olim ſis iterum cinis:
Culpamque mors extinguat, & mors
Mortem edat, inſinuetque vitam.

IN CAINI SCELVS ET contumaciam.

Ode Tricolos Tetraſtrophos.

PRo germinantis damna nequitiæ
Primùm recenti crimine ſeculum
Senſit; nefanda cùm ſuperbus
Cæde malum cumulat Cainus.
Nam ſat laborum protulerat pater
Natis ſibique improuidus, vt frequens
Et multiplex leti pateret
Porta hominum fugienda nulli.

Metata

Metata nuper clauſtra breuiſſimæ
Vitæ ſecundus ſtringere vir furit,
Sacrata & almæ templa menti
Diruere expoliator audet.
Exempla monſtri ac prodigium videns
Horret ferarum mite magis genus,
Doctum abſtinere atque infrequenti
Parcere adhuc teneræque prædæ.
Diſſentientes luſibus impari &
Senſu educatos præuidet nos pater:
Telluris alter terga ſude
Findit auens, fouet alter agnam.
Poſt hoc diſertis vique negotiis
Nec mentis vnam nec ſtudij probant
Formam, reuinctos ille tauros
Agricola irrequietus vrget:
Hic prata paſtor lanigerum & pecus
Curans, feroces arcet ouilibus
Vrſos, & infeſti leonis
Eripit inſidiis bidentem.
Non diffidentes ſidera finxerant
Mores, neque inſtans dura neceſſitas,
Sed liberi diuerſo agebat
Tramite conſilij voluntas.
Nam tortuoſi callida munera
Et vim Draconis, ſæpè etiam & dolos,
Mendacia, inuiſamque fraudem
Maior amat ſequiturque frater.
Candens minorem ſimplicitas iuuat,
Ac temperatis vſibus innocens
Vita, & ſalutares parentum
Iam monitus potiorque norma.
Virtuti at ille & moribus inuidet
Fratris probati iudicio Dei,
Oditque miratus litantem
Candidulæ pecudis cruore.

E Quid

Quid pulchra ſancti te pueri impedit
Virtus Caine, aut innocuum decus?
Quin adnuente & ipſe cælo
Ire via meliore tendis?
Conſtantis, audi, te iuuenis vocat
Felix imago, atque incitat æmulum,
Inuitat & vox admonentis
Numinis auxiliumque certum.
Fruſtra; nam monitis ſurdus & abnuens
Fratrem ſceleſta præcipitat manu,
Nec parcit humanè precantis
Vocibus ingenuæque formæ.
Illum cadentem ne videat, caput
Sol condit atris nubibus; æthera
Diſrumpit è membris recedens
Spiritus inſolito fragore.
Percuſſa puris artubus & ſacro in-
ſontis cruore Terra madens gemit.
Audita plorare, atque amaris
Numina ſollicitat querelis.
Nec tanta durum ſigna premunt malæ vs.
Seuæque culpæ pœniteat, neque
Vox arguentis corque prauum
Verba Dei quatientis angunt.
Humana tantum incommoda pertinet
Securus vltrà quærere, quid Deus
Decreuerit; mortalis vna
Cura agitur miseræque vitæ.
Gaudere viuens deſine; libera
Non vita reſtat, ſed variis tibi
Damnata pœnis inquietæ ac
Verberibus crucianda mentis.
Differtur illud quamlibet vltimum
Durum ſubibis ſupplicium tamen,
Gentique molitus tuorum
Dedecus exitij apparabis.

DEI

DEI LAVDES EX DIVINÆ efficientiæ obſeruatione.

O Cvivs faciem mortali luce nefas eſt
Aut oculis diſcernere noſtris.
Sancta tuæ nunc Virtutis, quibus omnia lucent,
Vt liceat mihi terga videre.
Metiri nec tanta peto, ſed cernere quantum
Culturo ſatis eſſe probabis.
Anguſtum quocunque precor me conde receſſu,
Seu propiùs ſeu longiùs abdas;
Vt gratus docilisque tibi monumenta tuarum
Virtutum cognoſcere poſſim.
Annuis? an gelido mihi mens percuſſa timore
Cordis adit repetitque latebras?
Iam rurſus redit atque calet, iam læta tuis eſt
Muneribus, iam tota petit te.
Teque amat, atque vnũ cuperet, nec te ſine quicquã
Eſſe putat vel noſſe beatum.
Nec pulchrũ quicquã poterit neque credere verum
Iſta quod ſit luce remotum.
Nam qui tam nitidis, tot conſtat partibus orbis,
Sidera, monſtriferum mare, terræ &
Innumeræ formæ viuentum, cuncta tuæ ſunt
Dona voluntatisque manuſque.
Edere cùm voluit tua mens virtute potenti
Hæc; tua ſic ſapientia luſit.
Luſit & explicuit ſpecies diſtincta decoris
Ordinibus primordia rerum.
Extitit exortus nullo de ſemine mundus.
Materies, voluiſſe, fuit, te.
Alma parens Natura tui vi & numine Verbi
Explicuit ſe cunctaque ſecum:
Iuſſaque continuas iterare & promere formas
Perpetuò ac renouare cadentes,

Paruit imperiis, variataque tempora & artes
Excipiens didicitque tenetque;
Auctoremque ſuum laudat te pulchra probatque,
Certa tuas non fallere leges.
Ne ruat illa, tuo fulcitur munere, nam tu
Prouidus hanc ſeruaſque foueſque
Prima homini ſors in terris te principe ceſſit,
Quem reliquæ metuant animantes.
Et regem in cunctis gregibus ſe viderat ille, &
Curarum expertemque malorum:
Et potuit te veracem laudare bonis hic
Exemplis cumulatus & amplis:
Et proferre tuis potuit ſua tempora donis,
Et ſenium & contemnere mortem.
Sed mens læua, malique ſui ambitioſa cupido
Hunc tibi ſubduxitque ſibique.
Sic miſer & te non vanum perſenſit, & vſque
Conſilij dictique tenacem.
Proxima viderunt vitiatum ſecula in orbem
Iudicij monumenta ſeueri;
Cùm ſcelus, impietaſque hominũ, cũ crimina ſæua
Terras infecere recenteis.
Ipſe tui ſed propoſiti non immemor vnquam,
Vitæ conſilium atque ſalutis
Et meditare bonus, firmatum & promere tendis,
Arcanaque foues Deus arte;
Quam penetrare queat mentis vis nulla minoris,
Ille tuus neque callidus hoſtis;
Ille hoſtis generi qui commoda maxima noſtro
Inſidiis diuertit iniquis;
Ille idemque tuis inuidit laudibus, ac ſe
Ingenio variante doliſque
Callidus ac ſtultus voluit iactare priorem
Et comitum ſe vendere turbis,
Ergo comes tibi iuſtitia eſt, fraudiſque dolique
Et ſceleris ſanctiſſima vindex.

Lentior

Lentior hæc tamen in pœnã eſt, niſi prouocet vltro
Improbitas celereq́ue morantem.
Altera ſed ſoror eſt huius tibi propria, ab ipſis
Principiis notiſſima mundi:
Quam nunquam dormire ſinis pateriſve vaçare
Quin peragat noctéq́ue dieſq́ue.
Omnibus illa tuas horis largitur & auget
Diuitias partita fluentes.
Fert huic ſe ſociam longo Patientia naſo,
Et vultu veneranda ſereno:
Et pœnas moderata omnes Clementia, certis
Limitibus quæ ſumma coercet.
His exercendis præſcribis tempora nulla,
Non hominum genus excipis vllum,
Præter eos quos impietas vſuſq́ue maligni
Criminis vſque iuuátve tenétve:
Namque hos pœna manet ſancti certiq́ue miniſtra
Iudicij, quam legibus æquis
Firmat & exequitur recto Conſtantia ſemper
Conſilio ac bene ſæpè patente.
Optares Pater alme homines non perdere, ſed ius
Exigit ad pœnam ſceleratos:
Ipſe doleſq́ue malis hominum, ſi tangere ſenſum
Diuinum potuere dolores.
Noſtris ipſe bonis gaudes, Pacemq́ue beatam
Conſulis, exquiriſq́ue, paraſq́ue.
Quid non promittit, quid non fert ille bonorum?
Quídve negat poſcentibus æqua?
Spem ſuperat mentéq́ue hominũ animoſq; petentũ
Muneribus doniiq́ue ſupernis.
Quippe potẽs rerũ eſt author, princepſq́ue benignus,
Plena ſubeſt cui copia ſemper.
Non mare, nõ Tellus fuerant, nõ aſtra, neque vllum
Quod poſſent hæc pingere cælum:
Ipſe at diues erat ſecum, nihil indigus: eſſe
Hæc iubet, enituereq́ue iuſſa.

Nec ſibi compoſuit ſoli, donanda parauit,
Et donat, largitur & vltro.
Etſi cuncta ſimul donet, tamen edere mille &
Mille valet cum millibus orbes.
Immo habet atque ſuis condit cultoribus, illud
Quod mundis præferre trecentis
Non dubitem minor arbitrio, nec, pendere magni
Si tanta licet, millibus vllis.
Seſe namque bonus præbet donatque piorum
Mentibus inſinuatque tenendum.
Huic nihil aut pelagus totis abſcondit in vndis,
Aut ſcopulis antríſve reductis.
Nec cæco tenebroſa ſinu quicquam abdere Tellus
Huic poterit ventura videnti.
Humanæ ille oculis penetrat variantia mentis
Conſilia abſtruſoſque receſſus.
Nec dum dicta, tamen contingunt illius aurem
Verba animo meditante recepta.
Quid referam, vel quid ſileam? non dicere tantæ
Poſſum Maieſtatis honorem.
Parua pudor memorare vetat, ſed magna ſilere
Et metus & mens inſcia ſuadet.
Ergo & magna pius vates non vſque tacebo,
Nec cantare minora verebor.
Magne Deus cuius princeps premit æthera ſedes,
Nil ſimile eſt tibi nílve ſecundum.
Alme Pater, qui parua foues, homineſque benignus
Aſpicis, hanc canimus tibi laudem.

DE PROVIDENTIA DEI, Ad Ludouicum Perezium.

Tricolos Tetraſtrophos.

INSTRVCTE ſortis legibus optimæ,
Dulcis Perezi, iam bene conſcie,

Contende

Contende præceptum ſecundo
Sidere continuare curſum.
Qui nec ſupremum funditus ad latus
Nauem refertam pondere diſpari
Vexas, neque exoptas olente
Diuitias cumulare merce.
Contentus illis nempe negotiis,
Quæ nec piorum iudicium improbet,
Nec poſſit exercere ſegnis,
Subſidium miſeris futura.
Deliberatum conſilio graui
Portum tenebis, ſi neque dextera
Clauum reflectas, nec ſiniſtra,
Nec properes, nimiúmve ceſſes.
Non cetus, aut te monſtra natantia,
Non vnda flatu ſpumea terreat,
Nec littus inuitans inani
Illiciat reuocétve luco.
Ignem ſereno lumine præuium,
Quem nauiganti propoſuit Deus,
Et mente & intentis, Perezi,
Serua oculis, ſequere & vocantem.
Permitte Regi cætera, cui tuam
Rem conſecraſti, & quicquid erit lucri,
Nam proſper educet labores
Ille tuos, minuetque iniquos.
Seu dubitandam dent ſcopuli viam,
Seu voluat altas vnda voragines,
Seu monte conſiſtat minaci,
Seu ſinubus remeet reductis.
Quicunque cellis miſſus ab abditis
Ventus repulſum commoueat mare,
Nec differet, nec vela rumpet
(Crede) tua, aut faciet morari.
Namque ille denſis nubibus inſidet,
Strictoſque clarum colligat in iugum

Verſatque parentes habenis
Arbitrio ſapiente ventos.
Et caſus illic nil temerarius,
Nil, quam profanum vulgus habet Deam,
Fortuna ſortitur, ſuúmve
Obtinet, aut ſubit adminiſtra.
Is cuncta pleno numine poſſidet,
Qui iam creator condidit omnia,
Is temperat voluitque cuncta
Summa potens, mediumque & ima.
Nil huic volatu præteriens leui
Aufert, nihil dat, quamlibet hæreat
Tempus, noui nil huic recurrens
Affert, aut ſubitum indicabit.
Quin & priuſquam poſtera tempora
Naſcantur, idem præuidet, ac ſuis
Committit expreſſo canenda
Vatibus & numeranda ſigno.
Hunc nec notatis legibus obligat
Natura certas diſcere formulas,
Inſtructa nec cæli nitentis
Militia aut ſeries retardat.
Natura quicquid, quicquid agant poli,
Fiet quod alto conſilio tamen
Diuina Mens decreuit; huius
Nutibus orbis amat reuolui.
Miranda noſtris quæ patribus priùs
Sunt viſa terra, ſuntque polo, & ſalo,
Hunc indicabant poſſe rerum
Deſtruere & renouare formas.
Noſtros in vſus cuncta creauerat,
Quæcunque ſenis lucibus edita
Stetere; non vt illa nobis
Imperitent, ſed vt obſequantur.
At nos (vt illis commodiùs bonis
Fungi deceret) ſemper oportuit

Seruare

Seruare ab ipſo conſtitutum
Munus & officium. Magiſtro.
Qui regna cæli, qui maris obtinet;
Terræ profundum qui penetrat ſitum
Qui corda rimatur iecurque
Et varias animi latebras.
Ille & biſulcas deſpicit in vias,
Quas vel piorum tendere amant pedes,
Decepta vel quas improborum
Turba frequens celebriſque calcat.
Quamquam neque vno ſidere conditos
Iſtos vel illos diſpare temperet
Viuax remixtus bile ſanguis,
Et varij comitentur anni:
Præfixa prauos certa pericula
Sanctis abuſos conſiliis manent.
Cœtus at expectat proborum
Fauſta quies, viridiſque palma.
In dicta teſtes conuenient mea
Fluctus rubentis littoris, & liquor
Iuſſus pepereiſſe piis, &
Subruere imperium ſuperbum.
Nox vna vidit millia plurima
Vndæ reductu vindicis obruta;
Nox illa tranſmiſit fidelis
Incolumes populi cateruas.
Illis, benignus quos fouet, expedit
Secretioris munera copiæ;
Plenoque producit repoſtas
Delicias epulaſque cornu.
Auerſus idem ſidera ferrea
Rigere inerti duritie ſinit,
Atque ante felices nocentum
In chalybem iubet eſſe campos.
Felix colendi quem ſtudium Dei,
Quem ſola regni cura tenet ſacri,

Hunc (quamlubet mundus laboret)
Exitus excipiet beatus.

DE VANI CVLTVS INITIIS & cauſis.

NAM, quid nefandi nuper acto ſeculo
Suſcepit humanum genus?
Quid vel doloſi recens ætas intulit
Creſcentem in orbem criminis?
Vt inuidendam poſteriſque noxiam
Damnetur ad clementiam?
Parúmne primæ matris in natos mali
Produxerat credulitas?
Ni paruus ignis (quem ſuperſtitem bonus
In mentibus dedit Pater)
Torti Draconis inquietis protinus
Extingueretur artibus?
Hinc peſtilentis lati & erroris nouæ
Diſperſa terræ ſemina.
Erroris, altum qui priùs tentans polum
Peruertit ordinum vices,
Auſus Regentis adoranda numina
Stellis amicus lucidis
Fauſtaſque vires, & nocendi copiam
Et liberam mentem dare &
Interminatis omnium ſideribus
Momenta rerum addicere.
Tandem relicto, quem videre nemini
Fas eſt caducis ſenſibus.
Tot mox ſacrabat, quot valebat cernere
Et aſtra, & alma nomina.
Nec illa demum cunctis imaginibus
Conficta luſerunt ſatis,
Niſi improbandis moribus mortalium,
Niſi inuidæ potentiæ,

Inceſtuo-

Inceſtuoſis, atque libidinibus
Infames exempli reis
Arces, domuſque ſplendida & conuiuia
Alto parentur æthere.
Infrenis auſa eſt quid non vſque gloria?
Quid non adulator tulit?
Mirum rotari poſſe, aut orbem currere
Suis libratum circulis,
Quem tanta vexant ſemper ſemper addita
Diſcorde nutu pondera.
Mox & marinis regna monſtris, omnibus
Et fluminum cedent aquis.
Cornuta frequens tunc caterua vitreis
Prorupit ex antris Deûm.
Siluas peraltas, peruirentum nemorum
Tractus, & inter illices
Nymphæ decentes, Fauni membris horridi,
Salax & Satyrus ſimul.
Quicunque nondum toti euaſerant Dei
Nectarque nondum ebiberant,
Læti minoris numinis tamen nota
Gaudent, choroſque ductitant.
Sic ſumma & imis, ſic permixta & vltima
Primis (referre quod pudet)
Primus oblitus orbis auctorem ſuum
Deos vocauit non Deos.
Adiunxit imitatum dein ſaxis vafer
Cælator arte ſpiritum.
Arcu, ſagittis, haſta, falce, fulmine
Stultis pauorem addidit.
Hanc ſi parare improuidis amentiam
Pictura debebat Poli,
Præſtaret æthram vna fronte ſimplicem &
Vno colore conſpici,
Priore quales, quales luce & altera
Noui nitebant tunc dies:

Præſta-

Præſtaret vſque tardas mouiſſet manus
Saxis ineptus artifex.
Sed quid ſtrepentis paruulæ modis lyræ
Mens pergis iſta conſequi?
Certis referre quæ non vlla legibus
Noſtri valet vis ingenI,
Cæcum ſuorum quæ iecere turbidis
Vatum furorem mentibus.
Non culpa compti aut hæc dicetur ætheris,
Aut artis inuentæ dolus:
Inſanientis fructus hic ſcientiæ eſt,
Mentiſque compotis mali,
Quondam inſolentum quam præceps furor patrum
Optauit imprudentiùs,
Impulſa prauis dignoſcendi motibus
Quid fas, quid & foret nefas.

DE HANOCHO DIVINÆ Veritatis præcone.

Ode Tricolos Tetraſtrophos.

SEDVCTA fœdis relligionibus
Errabat omnis turba hominum diu,
Latamque per terram vaganteis
Iam populos furor occupabat.
Quid quiſque dicet, quid colat & pius
Placare denſa à cæde bidentium
Procuret, expectata monſtrat
Vtilitas ſtolidusque vates.
Namque alma poſtquam ſimplicitas Dei
Irrequietis mentibus exulat,
Inſana mendacis Draconis
Turba locum petit inquinare.
Tetris veneni viribus intima
Perfundit vrgens pectora, quæ ferunt
Obliuio-

Obliuionem, quæque rerum
Contemerant violantque formas.
Miſcere primum faſque nefas iubet:
Cogit decoro iungere dedecus,
Et praua rectis & ſeueris
Ludicra conuoluiiſſe gaudet.
Hoc ſentientis prouida mens viri
Cauebat olim; cui dederas noua
Cum prole maturum probandis
Conſiliis Deus alme ſenſum.
Miratus aras fanaque & altiùs
Extructa magnis templa laboribus,
Lucoſque, to que ducta diuûm
Innumeris ſimulachra formis:
Ardere pingues, vim ſegetis, boues,
Agnas nouandæ ſpem ſobolis videns,
Cum farre molas, & Sabæa
Plurima thura dolet perire.
Aſt illa ſanctum cura magis ferit
Pectus videntis tanta hominum graui
Errore pallantum nocentes
Secula per tenebras abire.
Dixitque primus, Quis furor impium
Vel vos libentes iam rapit in ſcelus?
Quæ vel reluctanteis malum vrget
Ad facinus fera vis tyranni?
An ne ad ſupernam fictus imaginem
(Mortalis & ſi corpore) vir colat
Vel bruta, vel ſax ? an rotundo
Sparſa polo veneretur aſtra?
Maiora noſtro ſunt genere ac priùs
Formata, certo quæ numerûm ordine
Diſtincta lætantur beatam
Agmina ſpirituum per aulam.
llis tamen no , qui omnibus imperat,
Deferre honores, qui deceant Deum,

Vindex

Vindex vetabat: hoſque nobis
Eſſe ſuos voluit miniſtros.
Diuina nobis particula obtigit
Lucis, & iſtis cedere neſcia,
Quæ vos dicauiſtis in alto
Æthere, quæ in pelago atque terris.
Nos ille ſolus, nos ſibi vendicat
Semper colendo, qui ſimiles dedit
Formator olim, quique maius
Pollicitus dabit auctor idem.
Nos templa ſummi nempe ſumus Dei,
Noſtro decet nil corde minus capi.
Tantíve regis non pudebat
Hoſpitio ſociare quemquam?
Quos ille tandem dicere filios
Decreuit almus, quos fouet, ac ſibi
Iam tendit hæredes vocare,
Et faciet (tamen obſequenteis)
Rebus minoris non pigeat notæ
Seruire, ſenſu nilque valentibus
Curuari, & extendiſſe apertas
Protinus aut plicuiſſe palmas?
Nec terra quicquam concipit aut parit
Nolente ſummo principe, nec valet
Præbere productrix alendis
Gramina quadrupedum cateruis.
Extinguit ignes vnus, & excitat,
Et librat horis tempora commodis
Mentita nunquam: frigus idem
Temperat, & ſolüit, ligatque.
Telluris almum commodus hic ſinum
Cælo imperatis afficit imbribus,
Vitamque mortali, atque honeſtos
Delicias creat ille in vſus.
Veræ magiſter ſic ſapientiæ
Sparſiſſe fertur ſemina pluribus

Luſtris, & exemplum probatæ
Intrepidus tenuiſſe vitæ.
Donec peractis ritè laboribus,
Æternitatis pignora non prius
Audita cepit, non ſi faſtos
A vetere enumeremus Adam.

DE INIVRIOSA MVNDI ætate.

Ode Dicolos Diſtrophos.

ERRORVM tenebris, atraque caligine poſtquã
Recentis orbis obuoluta gens fuit,
Tunc veneranda Dei natura, & certa voluntas
Sagaciorum diſtulere lumina.
Ferrea mortales ſubierunt ſecula, ſunt &
Excuſſa prauæ frena tunc licentiæ.
Diſceſſere metus, pietas, ius, faſque fideſque
Bonuſque pudor moribus vetus comes.
Imperat vna animis & moribus atra libido,
Doliq́ue cura ſumma conſtat omnibus.
Solaq́ue diſtinguit violenta potentia fines,
Pares cupiſſe, ſed nocere non pares.
Namque ſuo parere animo, proprioque furori
Nihil negare cura ſingulos tenet.
Hinc cædes, bella, hinc rabies, hinc furta, rapinæ,
Nouiſque ſemper ars operta fraudibus,
Nulla eſt promiſſi conſtantia, nullaq́ue dicti,
Valetq́ue acuta lingua docta fallere.
Communis durare diu aſt iniuria non quit,
Suis & ipſa fracta viribus cadit.
Tandem inuenta malo concordia falſa timore
Domos viroſque iungere & opes iubet.
Alter vt alterius vitare pericula diſcat,
Nocere læſus, vltor atque lædere.

Impia

Impia connubiis coeunt ita fœdera: magnis
  Data eſt & vxor & petita dotibus
Femina diuitiis luxúque ſoluta, pudoris
  Renunciare ſancta iura nil pauet.
Cantibus & ludis, omni atque libidinis arte
  Prior vocari & ardet, & putat decus.
Nec melior teneris ſenior matrona puellis,
  Honeſtiore nulla matre filia eſt.
Palmam quæque ſuæ ſtudiorum cedere natæ
  Cupit magiſtra, monſtrat & frequens monet.
Sic turbata omnis confuſáque munia gentis,
  Vir muliebris extitit chori artifex.
Femina ſæua habitus præfert animoſque viriles,
  Nouas vterque adinuenit cupidines.
Non impunè pius tulit hæc ſpectator & ante
  Laborioſus, & mali rudis doli.
Aſſidui hic prauo exempli corruptus amore
  Venuſtiores expetit furens thoros,
Impetrat, atque genus, mores, linguáque animúque
  Ita inquinauit inſolenſque prodidit.

DE NOAHHI PRÆCONIS diuini temporibus.

O Gens ferrea, quamlibet
Coniunctis ſtudiis atque opibus potens,
  Humanæ & ſapientiæ
Faſtu prima hominum ſecula viceris,
  Vt nil vlterius tuis
Inuenire queant poſtera moribus;
  Nil quòd vel superûm choros
Offendat grauiùs, vel magis incitet
  Regem, qui reſidens polo
Cunctis agminibus prouidus imperat
  Quæcunque æthera peruolant
Nutum prompta ſui noſcere principis:

Et

Et quæ vel mare continet,
Et quæ terra parit, ſuſtinet aut fouet.
O quid continuis tua
Confirmare paras regna laboribus.
Nam conſtructa per impios
Fundamenta dolos, quo magis editum
Culmen ſuſtulerint, magis
Improuiſa ruunt præcipiti malo.
Cur non te potiùs feræ
Vitæ, & conſilij pœnitet improbi?
Aut cur non iuuat & genus
Agnouiſſe tuum, diſcere & ordinem?
Nam te non ſimilem feris
Aut ſenſu aut facie condiderat Pater,
Qui te cunctaque commodus
Et membris varia & finibus edidit.
Cœli templa tibi dabat
Conſpexiſſe oculis, menteque protinus
Illis credere ab arcibus
Humanos animos ducere originem:
His poſſe inferiùs nihil
Vel plena imbuere hos vel ſaturos dare.
Quantum diſtet ab illius
Veri fine tuum nónne vides iter?
Quod ſi trita nimis diu
Et monſtrata patrum curriculo orbita
Errorem veterem fouet,
Quem iam ſponte tua vertere neſcias:
Cernas quid faciat pius
Quid prudens & agat, quid doceat ſenex,
An hîc perpetuos dies
Tot tranſacta nouis tempora ſolibus
Conſumit temerè, ac ſuum
Exercens operi ſolicitat gregem?
Hoc natos iubet vnicè
...rare & iubet haud indocilis nurus,

Nidos & ſibi comparans,
Seruandæ ſoboli commoda prouidet.
Te nec continuus labor
Nec tam vaſta operis materies mouet?
Non artis ſtrepitus tibi
Proſpexiſſe mouet? ſed moueat boni
Sancta canities viri,
Et vox ætherei nuncia conſilI,
Certûm quæ negat amplius
Permanſura ſacri numina Spiritus
Noſtri in pectoris ædibus,
Donec carnis onus durat inutile.

DILVVII IVDICIVM.

Ode Dicolos Diſtrophos.

DAMNATA prauis prima ſecla moribus
Senſere demum iudicem.
Cùm terra fœdis inquinata poſtulat
Seſe expiari ſordibus.
Mortaliumque pondus execrabile
Depellere excuſſum cupit.
Nec ſulphuratas cuncta deuorantium
Faſces popoſcit ignium:
Timet ne rerum conſeruanda vindice
Flamma adurantur ſemina.
Namque ipſa nullas intimis in artubus
Sentire noxas ingemit:
Vultu ſed omni polluiſſe, condolet
Quantum celer Sol aſpicit.
Mauult (vt ante cùm latebat) humidis
Rurſum velari fluctibus.
Namque alma charos fœtus vnda commodè
Fouebit, & malum abluet.

Ergo

Ergo ſuperno non in ſtra numini
Conſtante voce ſupplicat.
Ille & piorum paruulo priùs gregi
Certæ ſaluti conſulit.
Clauditq; textam trabe myſtica domum,
Qua chara pignora abdidit.
Mox & polorum de ſuperno fornice
(Rupta feneſtris ianua)
Cryſtalla denſis imbribus deſcendere
Terras in imas imperat,
Iubetque ventos retrò pulſa flumina
Fontes ad ipſos vertere.
Tunc inuidentis arido ſolo maris
Soluta frena detrahit.
Irrequietas illud vndas intimos
Contendit in terræ ſinus:
Contendit vrgens, impetuque erumpere
Propellit altis montibus.
Iam denſa nubes atræ & noctis æmula
Mortale perturbat genus,
Horrendus viqué fluminum fragor propè
Sentitur inuadentium.
Ne firma tecta quamlibet reſiſtere
Nimbis ruentibus valent.
Iam nemo damna luget, aut charas opes,
Iam nemo cuiquam proſpicit.
Lamenta dira, turpis eiulatio, &
Iam ſera pœnitentia.
Soluenda nunquam vota crebra perſonant
Preceſque ad auerſum Deum.
Qua quiſque cumque lethum ſtultus aufugit
Immitibus cauetque aquis,
Aut flumen inſtat, aut ſupernus irruens
Perturbat imbris impetus:
Apertus aut repentè fons greſſum vetat
Solo in tenace figere.

Huius veloces detinet denſo luto
Cœnoſa vorago pedes:
Hunc mente cæcum ſpes adempta protinus
Tectis ab altis deiicit.
Cunctos metuque diſſolutis artubus
Prauaque conſcientia,
Inſanus intus contorquet premens furor
Præſente morte ſæuior
Minatus à lethalibus, heu, tranſitum
Nimbis ad æternos rogos.
Sic vna quadrageſimis nox ſolibus
Circum rotata perſtitit;
Dum criminoſi mundi iam ſacrum genus
Impoſitas pœnas luit:
Iniurioſa quicquid illa ſecula
Sæuis tenebant legibus
Defecit omne cum ſimul iuſſum malis
Perire poſſidentibus.

SECVLORVM
LIBER II.

HOMINVM INSTAVRATIO EX Noahhi incolumitate.

Ode Dicolos Diſtrophos.

IAM clarus micuit dies
Inſtaurata bonum commoda in ordinem
Horas tempora diuidunt.
Tellurem reficit Sol meliùs nitens
Cæli lucida & integra
Præcluſis facies alma canalibus

Summ

Summas continuitque aquas,
Sudo & mœſtitiam depulit æthere.
Nil turgent vaga flumina,
Suntque iniecta maris frena licentiæ.
Preſſis fluctibus hoc ſilet,
Contentumque ſuis littoribus iacet,
Nobis iamque volens Deus
Occluſi reſerat limina carceris,
Duræ & mortis imaginem
(Quæ nos inuoluens tenuerat diu)
Vitæ muneribus bonus
Mutat compoſitis & vicibus Pater.
Cernis quantum alacris redit,
Et quale auſpicium deferat innocens,
Quam iuſſi volucrem priùs
Explorare ſoli quod pateat latus?
Hæc ſed tum rediit frequens
Inueniſſe negans quò referat pedem.
Nuper læta virentibus
Ramis paciferi termitis adfuit,
Et geſtu & gemitu pares
Nidos eſſe ſibi ponere fas docet.
Ergo vos manibus graues
Expurgate oculos, quos tenebræ integro
Anni tempore læſerant,
Atque admiſſa domo cernite lumina,
Summum quæque per imbricem
Intrant, perque Deus quas reſerat, fores.
Iam prodire foras iuuat:
Iam matri veteri figere & oſcula:
Iam iam ſupplicibus polum
Palmis, iam patulis quærere brachiis.
Mecum vos pueri ſimul
Exite, & superûm numina Principis
(Qui dat viuere ſoſpites)
Placemus vituli ſanguine myſtici,

Flaui & viſceribus capti.
Huic imbuta ſacris ara cruoribus
Fumet, huicq́ue aries cadat,
Integris penituſq́ue artubus huc volet
Mas cum compare turture.
Noſtri quæque vices ingenij tenent
Vel mite ac placidum pecus
Vel manſueta auium penna volantium:
Arcanis quoniam modis
Humani hæc referunt nomina debiti.
Vos puras pateris aquas,
Vos haurite nurus; gramina cum nouis
Vos componite floribus:
Vitæ vos etiam participes dedit,
Qui dum perderet impios
Contortis iaculis, prouidus innuit
Iuſtorum exiguo gregi
Declinare locum quò furor impetit.
Idem conſuluit fugam,
Monſtrauitq́ue docens tuta latibula.
Antè ô quàm liceat feris
Antè & pennigeris quàm liceat ſuas
Per nos viſere patrias,
Feſtinare pios vos iuuenes decet.
Viuum quis mihi ceſpitem,
Et quis ligna citus ſufficit integra,
Quæ nec vel vitians liquor
Vel duro caries dente perederit.
Vxor tu bene olentia
Profer thura legens maſcula pinguibus
Primum quæ lachrimis nitent,
Et baccas referunt perſpicuas magis.

DE NOAHHI OCCVPATIONE, & vini inuentione, vſu, & abuſu.

Ode Sapphica.

SI mihi centum referantur artes,
Vita queis noſtri generis fouetur,
Queis opes creſcunt, nocitura menti &
Otia cedunt.
Nil probem ſanus magis atque munus
Terra quo dulceis paritura fructus
Sæpiùs iuſtis operis colendo
Poſtulat agro.
Hoc opus lætas ſegetes reponit,
Hoc valet denſis onerare culmis
Aream, certa atque auidi coloni
Vincere vota.
Vnde frumenti reparanda in annos
(Quo nihil vires hominum caducas
Commodum fulcit meliùs) beata
Copia ſurgit.
Pane eget princeps, eget & caterua
Militum, diues, pariterque pauper,
Artifex, & qui penetrat marinos
Nauita fluctus.
Meſſe producta patiens laboris
Ruſticus primùm populuſque gaudent
Omnis, & cælo reſidens benignum
Numen adorant.
Auctor humanæ ſobolis parenſque
Primus hanc fertur coluiſſe Adamus,
Primus & glebam domuiſſe acuti
Cuſpide ſaxi.
Ille ſeu ſortis memor, heu, prioris
Improbè amiſſam gemeret quietem,

Cordis hoc durum ſtudio dolorem eſt
Fallere ſuetus.
Perditi poſt hæc reparator orbis
Teſtis ac priſcæ ſobolis gigantum
Munus hoc quamquam ſenior Noahhus
Deligit vnum.
Temporum certam ſeriemq́ue & horas
Et vagos lunæ docet is receſſus
Igne quid poſſet minor hæc, quid vdo
Lumina plena.
Frigoris crudi nocumenta & æſtus
Doctus obſeruat nimij & liquoris
Fertili terræ vitioſa ſemper
Damna notabat.
Nec placet Solis poſuiſſe ariſtis
Simplicem curam, vario ſed vnus
Arborum princeps generi imperabat
Arte animoq́ue.
Inuenit certam ſpeciem modoſq́ue
Ritè ponendis oleis, monetq́ue
Quid petat ficus, ſolido nuces quid
Cortice poſcant.
Quid pyri immenſus numerus, fugax quid
Bacca; malorum variata forma;
Triſtibus non hæc renuenda ſuccis,
Dulcibus illa.
Hæc nouos cultor variis per agros
Altiùs ductis ſcrobibus decoro
More diſtinguens proprio ſerebat
Singula menſe.
Et ſimul pulchris videt enitere
Frondibus campos varioq́ue flore
Damna ſolatur nimium carentis
Gentibus orbis.
Vitis ac mœſtam iuuat vna mentem
Palmite extenſo, grauis & racemis,

Grata cultori melius breui quæ
Tempore venit.
Cuius & cano capiti virentes
Pampinus nectit facilis coronas,
Suauis & guſtu innocuuſque fructus
Fercula adornat.
Ritè maturo fruitur, probatque
Poſſe non vllo ſaturum periclo
Hoc ſenem dono, hoc iuuenem dies per
Viuere plures.
Tentat & longos penitus calenti
Sole ſiccatum ſerüare in vſus,
Euenit, ſeruat meliora mellis
Munera fauis.
Hæc ſatis planta retuliſſe ab vna
Iam foret certè, niſi maluiſſet
Noſſe quid durum ſubitura prælum
Bacca remittat.
Hanc priùs lotis pedibus cauata in
Trabe perrumpit, lapidis grauique
Pondere impreſſam domat, & fluentes
Excipit vndas.
Menſe producto libet experiri
Quid ferat proles generoſa Gepnes,
Et placet fragrans odor & probando
Forma colore.
Audet & primis tetigiſſe labris,
Audet & linguæ arbitrium rogare,
Deſpuens poſt hæc ſilet, atque ſenſum
Conſulit imum.
Ac iuuat dulci pariterque acerbo
Conditus tactu ſapor; inde rurſum
Paruulo ſeſe cyathi incitantis
Credidit hauſtu.
Qui ſimul fundum tetigit ſenilis
Intimum ventris, iuuenem calorem

Excitat cordi, placiduſque frontem
Spiritus æquat.
Iamque maiores auidus, moramque,
Poſcit accuſans, calices: nouis tunc
Gaudiis ſentit nimium moleſtas
Cedere curas.
Nectare ardenti fruitur, ſuoque
Gaudet inuento, ingenioque grates
Reddit, ac ſeri officij haud petiti
Pœnitet ante.
Non enim quondam malus inuiderem
Largius cunctis epulis cibiſque
Ferre naturæ hæc bona ſoſpitalem
Pocula in arcam.
Hæc ſenex ridens ait, & cachinnis
Lætus indulget, ſubitò in cerebrum
Virus ignotum venit, alligatque
Crura pedeſque.
Viribus laxis reſoluta membra
Cætera ignauo pepulere terram
Corporis caſu, leuius rotato
Vertice primum.
Ac repentinum ſubiiſſe lethum
Diceres, vanis niſi lingua verbis
Garriens iuret ſibi viſa centum
Lumina portis.
Regiam gaudet bene ſurgere aulam,
Quæ priùs fixo caſa patua malo
Tecta cortinis breuibus cadenteis
Pelleret imbres.
Fortè neglecta temere iacentem
Veſte, lethali ac domitum ſopore
Ductus infauſto pede tertius con-
ſpexerat hæres.
Impius fratres ciet, in iocoſque
Stultus inuitat; melius ſed eſſe hos

Arbi-

Arbitros morbi puduit paterni
Dedecoriſque.
Heu, quid aut multo ſtudio repertum,
Aut probes natum, mala culpa quod non
Odij ad cauſas queat inſolenti in-
uertere abuſu?

DE SVPERBIA ATQVE GLORIA humana. Babylon.

Carmen Hexametron.

HVMANI ambitio generis malè ſuadaq; mẽtis
Atque illuſtre ſibi molita ſuperbia nomen
Quid poſſint, quid non poſſint; ſignata docebunt
Non deducta tamen præceptæ mœnia turris.
Quæ iuſto maiora olim cupientis Adami
Stulta optat ſoboles, curiſque ardentibus vrget
Extento poſuiſſe agro, quem lenibus ingens
Irrigat Euphrates vndis, ſaturatque benignus,
Huc iam deducti mortales creſcere iuſſi,
Imperioque Dei vacuum cultoribus orbem
Partiri, inque datas regiones cedere quemque
Horrida telluris domiturum teſqua, ſuoſque
Docturum natos magni quæ certa Tonantis
Numina, Quis priſcos homines induxerit error
In ſcelus, exitij & cauſas vaſtæque ruinæ,
Vtque memor proprij ac veteris Pater almus amoris,
Quo mortale genus cunctis dominum eſſe volebat,
Quæ pontus, quæ terra parit, quéque æthera tranãt,
Prouidus exiguis deletæ gentis ab vnda
Relliquiis renouanda omni ſuffecerit orbi
Semina, quæ regnent iterum, meliuſque per æuum
Secula producant, pacemque & mutua grati
Munera communi ſtudio referantque petantque,
Atque vnum celebrẽt memores dominũq; Deũque.
Vniuſ-

Vniuſque patris nomenque domumque Noahhi
Obliti nunquam, diuerſis partibus vnum
Cognoſcantque, ſolum terræ teneantque fideles,
Acceptumque ferant ſuperūque hominūque parēti.
Hæc ſimplex retinenda fuit ſententia cunctis:
Quos tamen vnius communis & ordinis vſque
Pœnitet, ac maioris agit ſpes improba faſtus,
Et iuuat eſſe caput mundi, gentiſque futuræ
Præcipere immortale decus, venerandaque ſemper
Nomina, diuinoſque ſibi condicere honores,
Vt primis orbis genitoribus, vt dominiſque
Totius terræ, quos ducta deinde propago
Agnoſcat memoretque patres, iactetque nepotum
Poſteritas, hinc quiſque genus tituloſque relatis
Quærat imaginibus, nota & monumenta ſalutet.
Hic locus, hic, aiunt, ponendæ commodus vrbi
Mœnia temporibus nullis caſura domoſque
Nominibus certis habituræ, quæ doceant, nos
Inſignes vixiſſe viros, aliiſque dediſſe
Principium & ſummam rerum, famāque decuſque.
Conſtructa inprimis ſtudio magno, atque labore
Aſſiduo ſurgat contingens vertice cælum &
Inſtar habens mundi iamque ætheris æmula turris,
Quæ ſimiles ſuperis nos prædicet & miranda
Mole, hominum ſuperetq; aciem, ſtelliſq; minetur.
Hoc ipſa hæc campi facies planiſſima longè &
Conſpicua inuitat, terræ ac ſolidiſſima gleba,
Æternos quæ ferre queat ſtabilita per annos
Pondera naturæ nunquam ceſſura periclis
Inuitat natiua etiam faciliſque parando
Materies lateri ſabulum, argillæque tenaces,
Suppeditatque lacus vicina bitumina, calcis
Communi mage tuta vſu, melioraque tempus
Temnere, prædenſo ac lapides coniungere pingui.
Non ars, non animus, gentis non copia deſit.
Ergo agite, ac pariter coniunctis viribus atque
Conſi-

Conſiliis incamus opus; primumque ſubacta
Tellure excoctum lapidem properemus, & vrbis
Ducantur ſulci, ac turri quadrata notentur
Excelſæ latera & ſcalæ menſura graduſque.
Partitis operis & cura atque arte magiſtra
Maturum procedat opus, cunctoſque moretur:
Quod nos præcipuè inſignes præponere cunctis
Antiquis hominum exemplis poſteriſque futuris.
TALIA firmato iactantes propoſito iam
Audiuit riſitque Deus, ſtatuitque videre
Num dicto admoueant curâque manuſq; miniſtras,
Subſtrata ac pedibus nebula deſcendit ab alto
Axe notaturus iudex, atque arbiter idem
Integer, humanæ quid vis malè conſcia mentis
Immemor ipſa ſui conetur & improba tentet,
Iamque incepta videns dãnat, ſtudiũque nefandum
Execratus ait; Concepta proteruia vano
Mortali certis careat ſucceſſibus, & ſe
Perturbet propriis inuentis, ipſa ſuorum
Diſſidio inſidiiſque petens, confuſa nec vllam,
Quam cupit, ingenio inueniat ſtudioque quietem.
Nemo certa alij dicet, nemoque loquentis
Alterius fidet verbis; ſibi quiſque ſuiſque
(Nec tamen hoc rectè) conſultaque dictaq; præſiens
Addicet, non vna etiam lingua omnibus eſto.
Simplicibus iſti, mea quæ ſapientia dictis,
Protulerat, parere negant, aliudque frequentant
Conſilium, ſimul & vires operamque moraſque
Coniungunt, ſine meque parant ſibi ponere famam.
HAEC eadem cunctis poſt hac erit atra libido,
Priuatum ſibi ducere opus, propriamque minore
Quanuis mole, tamen propriam Babylona dicare.
Non cunctis eadem iam vox, non lingua manebit,
Nam meliora volet ſua quiſque inuenta probare;
Fruſtra nã comes atra premet minuetq; premẽdo &
Turpibus inuidia & cœptis inimica decoris.

DE

DE HVMANÆ VIRTVTIS INCONſtantia apud Noahhi ſobolem.

MENDACIS audax lethiferum & caput
Priſci Draconis non valet improbo
Viſque inuidendo temperare
Ingenio artificiq́ue fraudi.
Conſtructa primi in perniciem viri
(Qui damna cunctis gentibus intulit)
Noctes dieſque accenſa flammis
Perpetuis calet officina.
Inſomne pectus nequitiæ parens
Terreſtre ſemper puluere protrahit
Cæcaſque rimatus latebras
Cuncta malus reperit venena.
Et comparatis millibus vndique
Mendaciorum fraudibus, hic vafer
Conflator effundit doloſam
In ſpeciem ſimulachra honeſti.
Illis inanes ætherei boni
Terræque curuas cernere puluerem
Eludit, ignaraſque mentes
Tartareas agit in tenebras.
Cælum videre lumina quæ valent
Fulgente veri lampade, & intimis
Curare cælorum reductis
Vlterius meliuſque numen.
Non has doloſis artibus inſolens
Præſtringit error, ſed licet imbuant
Antiqua vulgi exempla vanis
Vis monitis inimica purgat.
Diuiſaque poſtquam munere diſſoni
Sermonis olim gens hominum nouos
Cultorem poſtulantis orbis
Occupat enumeratque tractus,

Con-

Concepta ternis fratribus inuida
Diſcordiarum ſemina confouens
Semper nouandas nectit anſas
Diſſidiis grauibuſque bellis.
Dum quiſque primas ambit & occipit
Partes, auet ſe & ſiſtere principem,
Hinc iura naturamque temnit
Impatiens violatque leges.
Semo minores cedere neſcij
Nolunt honorem, quem dederat pater
Ceſſiſſe; Iapeto locumque
Denegat obſequiumque Chamus.
Vtque inter ipſos conueniat minùs,
Priuata primum numina diſpares
Laudare cœperunt, & aras
Auſpiciis variis locare.
Dumque ille ſolos eſſe putat Deos
Quos ipſe adorat, nomina deſpicit
Quæcumque vicinum colenda
Suſpiciat metuatque vulgus.
Iam ſacra diuûm pro ingenio, neque
Vno probantur munere ſingulis,
Ritu neque vno comparanda
Materies ratioque cultus.
Nec ſanctiores eſſe deis volunt,
Humana, leges, gens quibus indiget — *Leges.*
Vt docta quid fas quid nefas ve
Quærat amans teneatque finem.
Contaminatis vndique moribus
Incerta veri ſecula proruunt; — *Mores.*
Et iura deſciſcunt, decuſque
Tempore deterius priore.
Quod quiſque curat, quod ſibi conſulit,
Defendit vrgens, & ſapientiæ — *Inſtituta.*
Splendente mendoſus probatot
Commemorans titulo tuetur.

Deſerta

Deſerta nulla eſt, nullaque non frequens
Mendaciorum diſparilis via, *Secta.*
Omnemque circumſtant docentem
Aſſiduè comitum cateruæ.
Almæ relictam & ſentibus obſitam
Virtutis vnius comperit orbitam *Abram.*
(Monſtrante cælorum magiſtro)
Hancque tenet docilis repertam.
Quem nec ſuorum pignora nec domus
Deſiderato aut nomine patria,
Nec macra triſti vultu egeſtas
Detinet exiliúmve certum.
Sed iuſſus vltro cuncta relinquere,
Quæ chara vulgus prædicat ac fouet,
Incenſus & feruens amore
Proſilit, ac ſequitur vocantem.

COMMEMORATIO SANCTORVM AB ABRAHAMO vſque ad Ioſephum.

Ode Sapphica.

NVNC ſacris clauſi domibus furentis
Quando vitamus Boreæ tumultum
Qui niues denſo penitus volantes
Æthere ſpargit.
Neutiquam ſegnes, decet aut inertes
Ad focos feſtum temerare tempus,
Sed choris vos ô ſocij moleſtum
Pellite frigus.
Vos pedem certum ad numerum mouentes
Ludite ô chari iuuenes, ego ſed
Barbyton vobis feriens modos &
Tempora ducam.
Nec lyra tantùm libet experiri,

Voce

Voce ſed veſtras choreas iuuabo,
Contigit quamquam tenuis canenti
Parcite vati.
Cæteri quamuis meliore plectro
Perſonent, noſtrum ſuperentque carmen,
Qui vel heroas celebrant profana
Laude, viros vel:
Noſtra ſed certi potior putanda eſt
Cura, quæ ſanctos memorare Patres
Tentat; exemplo recolenda quorum
Nomina tantùm
Deprimunt quotquot cecinere Graij,
Quotquot & Vates etiam Latini
Arte & ornato retulere verſu
Fingere prompti.
Illa gens vatum ſtudio ac fauori
Plurimæ debent monumenta laudis,
Hi ſua incultum patientur acta
Ferre poëtam:
Magna qui paruis numeris modiſque
Ingenî nouit tenuare culpa,
Addere indoctus leuibus canendo
Pondera rebus.
Te fide primum ſapientiaque an-
tiſtitem dicam Pater inter omnes
Lecte mortales, tua quos ſuperbos
Protulit ætas,
Qui Deo dulcem patriam iubente,
Et domum & fundos nihil immoratis
Linquere, & iuncto patribus ſodales,
Commoda cuncta.
Vnde maioris melioris atque
Te patrem certo numero carentis
Prolis audiſti, ac documenta pacti
Signaque magni.
Fœderis primus capis, vt nepotum

Seculis tradas recolenda. Poſt hæc
Iam grauis tardo ſenio recenti
Pignore gaudes.
Brachiis chari pedibuſq́ue nati
Alligas vittas adolendi ad aras
Iuſſus & conſtans memor & feriti
Fœderis idem.
Quem tibi adiungam priùs? an propinquum
Et viæ gratum comitem Lotum; quem
Regibus multis populiſque cæſis
Aſſeris auctor?
Sulphure & flammis mala regna iuſtus
Arbiter quando ſtatuit perire,
Hunc tuæ exceptum incolumem preces &
Gratia præſtant.
An pium ſemper tibi & obſecutum
Lætus Iſacum referam, decoræ
Ritè gaudentem thalamis Ribechæ
Coniugioq́ue,
Qua nihil pulchrum magis aut modeſtum,
Nil magis prudens tulit interamnis
Terra; & hæc dulcem geminis maritum
Prolibus auxit.
Qui diu ſolus fuerat, gemellæ
Vidit Iſacum ſobolis parentem,
Arrogat cunctum ſibi quæ duabus
Gentibus orbem.
Audit, hinc quondam fore, qui beatos
Reddat immenſos populos, reductum
Quos mare hoc findit, cohibetq́ue vaſti
Oceani vis.
Immemor mitem taceam nepotem,
Ira quem ſæui furioſa fratris
Cogit à matris gremio in remotos
Cedere tractus?
Huius haud mentem minuit fidelem
Sæua-

Sæua paupertas, neq;ue fraudulento
Sæpè promiſſo ſocer inſidentem
Frangit amorem.
Cui bona immenſos bene per labores
Parta prædiues licet, at malignis
Artibus raptor nimiumq;ue iniquus
Inuidet hoſpes.
Nec tamen, quamuis cupidus nocendi
Currat armatis comitum cateruis,
Hunc valet quicquam violare, in vno aut
Lædere pilo.
An ne quis, cæli bona quem tutela
Seruat, infeſtet? ſuperos valentem
Spiritus longa intrepidum tenere &
Vincere lucta.
Vnicum quem iam meminiſti Iarden
Hunc tuas ripas iuuenem vadare,
Nunc ſtupes tantis gregibus frequentem
Familiis tot.
Namque biſſenas meditatur vltra
Iam domos natis; videt & ſalutat
Rufus hunc frater, nimis impotenter
Qui oderat ante.
Huius vndenos pueros relinquam,
Exitus quorum memorare longum,
Poſteri & quorum numero æmulantur
Aſtra nepotes.
Vnus at natos micat inter omnes,
Luna quem & ſtellæ venerantur & Sol,
Mille iactatum iuuenem procellis
Indomitum ſed.
Hunc fides laudat proprium, pudorque hunc
Vendicat fortem bene & abſtinentem.
Non hera hunc blando potis eſt nec acri
Flectere dicto.
Quæ ſimul caſtam erubuit repulſam,

Ardet inſanæ furiis leænæ,
Atque auet iuſto ſatiare mentem
Sæua cruore.
Innocens iram domini & catenas
Pertulit multos patiens per annos,
Semper & miti eloquio, diſerto &
Corde probatus.
Deinde turbatam nimium pauentis
Regis & mentem & recreauit aulam,
Somnium prudens ſoluiſſe prudens
Conſiliorum.
Hic die ferro religatus vno,
Hic die princeps populis eodem
Extitit, plebi venerandus, altis
Principibuſque.
Agnitum demum coluere fratres
Conſcij quondam malè vendidiſſe,
Quos pudor vexet magis an metus, vix
Cernere poſſim.
Iam pater nato fruere, & parentem
Tu grauem Ioſeph iunior foueto,
Quem labor longus meritum decoro ad-
auxit honore.
At mihi feſſi digiti quietem
Imperant: nam quis reliquas piorum
Poſſit aut cantu aut fidibus virorum
Ponere laudes?
Siſtite & vos iam, ſatis adrubeſcens
Arguit vultus caluiſſe, laſſis
Nam nocet membris ſubeunte mixtus
Frigore ſudor.

DE DEI ERGA PIOS TVTELA ET Ægyptiarum obſtetricum pietate.

Ode Dicolos Tetraſtrophos.

QVANTVM ſacratus proficiat metus
Iniurioſum & mens fugiens nefas
Surgente conſtructæ benignis
Mole domus opibus docebunt.
Quas graminoſæ in mœnibus inclytis
Quondam Rameſſis compoſuit Deus,
Fœtus fouendi cum peritas
Prouidus eueheret magiſtras.
Namque ille praui conſilij parens
Notuſque priſcis inſidiis Draco
(Quem ſemper excelſè tonantis
Mordet honos, hominumque virtus)
Terræ Cameſis cùm populum hoſpitem
Denſas videret creſcere per tribus,
Annona quam preſſam fameſque
Duxerat exiguam cateruam;
Dixit, Quid amplos qui regit ordines
Mundi & polorum, concipere hinc parat?
Certè abdicare hic noſtra tendit
Regna, ſuum & celebrare nomen.
Nos hinc deorum plurima numina
Vanis colenda ac ritibus, impij &
Erroris in totum ferendi
Semina iam properamus orbem.
Noſtris tamen ſic in mediis agris
Creuiſſe plantas cernimus illius
Qui nomen æternum ſuperni
Intrepidus celebrabat IAE.
?quis putaret decrepitum ſenem
Natis carentem cum ſterili ſimul

Vxore tot auctis futurum
Prolibus & populis feracem?
Maius paratur iam mihi, ſuſpicor,
(Obſtem grauis ni principiis) malum.
Pellemur his regnis, vbi omnis
Creuerit hæc ſoboles Abrami.
Audiuit olim (nam memini) is, fore
Vnum ſuo de ſanguine; qui beet
Quas terra gentes inter æquor
Continet Oceani ſinuſque.
Non dura poſſunt vincula, non iuga
Hos ſeruitutis frangere, & improbum exhaurire
vectigal; moleſti
Non operis tenuare tempus.
Partire gentem, diſiice, & hos Phiton,
Hos & Rameſſes illicet occupet
Semper laborantes, nec vlla
Dona iuuent, recreétve merces;
Surgant propinqua vt ſideribus noua
Miracla nullis commoda ab vſibus,
Ædeſque regum, montiumque
Æmula pyramidum ſepulchra.
Creſcit propago multiplici tamen
Vſu malorum, pulchrior & micat:
Vni perempto ſic repente
Mille putes ſupereſſe proles.
Non plura ab vno vel minimo aſperæ
Grano ſynapis ſemina colligens
Miratur hortorum colonus,
Et folium calamique & haſtam.
Prauè morati nec populi inuida
Hos probra fœdis edita geſtibus
Quicquam à paterni vel decori
Pondere diminuit fide vel.
Iam iam volenti hos perdere funditus
Prudentioris conſilij eſt opus:

Creuiſſe

Creuiſſe iam nullus ſinendus,
Munera nec tetigiſſe vitæ.
Ergo vocatas, Rex, moneo vetes
Partus miniſtras parcere maribus,
Quoſcumque luci Hebræa mater
Protinus ediderit recentes.
Sed quid feri vis quídve truces minæ
Poſſunt tyranni contra animum pio
Certóque firmatum timore
Officij memoremque & artis?
Seruat fouendo, curat & editi
Infantis artus femina comptius:
Nec quos Deus vixiſſe iuſſit,
Hæc patitur pueros perire,
Fœtum ſagaxque abſcondere, & improbum
Perdocta regem fallere, cui nefas
Parere non iuſta imperanti
Et proprium violare munus.

SECVLORVM
LIBER III.

DE MENTE ET ELECTIONE ad Petrum Valentiam.

Ode Tricolos.

PVRA mente viam quamlibet arduam,
Quam monſtrat Pietas, ire Valentiam
Certum, carmine quali,
Dilectum ſtimulem mihi,
Vati Chriſte tuo præcipe; quem bonus

Cunctis eſſe Pater terrigenis dedit
Lumen, quos bene cæcæ
Noctis pœniteat modo.
Vrge Petre pium propoſitum, breuis
Vitæ, crede, breuis curriculus tibi
Diæ munera palmæ
Æternumque feret decus.
Iam nunc deliciis abſtineas licet,
Quæ tardare graui pondere viuida
Poſſunt membra pedeſque,
Curſum & vincere quæ vetant.
At compos capies quæ priùs aurea
Sacris mala tibi ſepoſuit Deus
Hortis, vnde ſalutis
Succos perpetuæ haurias.
Nam quos priſca patrum culpa nepotibus
Fructus abſtulerat, nunc etiam manent,
Maturos Deus hoſque e-
lectis diuidit arbiter.
Obſtantem ſtudiis inuidiæ leuem
Fumum, verte oculos, viceris: & nihil
Extra te poſitum, quod
Currentem impediat, puta.
Naſcentem proprio in corde cupidinem,
Creſcat ne validis artubus, opprime.
Argenti nec amor te
Corruptis oculis domet.
Inuiſam ſuperis pone ſuperbiam,
Summo quæ capitis vertice inoccupat
Sedes, His tribus vſque
Certa, liber vt imperes.
Namque & poſſe viris hæc mala frangere,
Humani generis conditor annuit:
Mentemque indidit aptam
Luciſque adſociam ſuæ.
Is mariſque animi fortia robora

Iunxit

Iunxit femineis ſenſibus, vt prior
Virtus nexa ſecundæ
Viuendi teneat modos.
Nec quod prima viro femina iam ſemel
Suaſit ferre manus in vetitum nefas,
Hæc regina manebit
Vitæ nec trahet ordines.
Imò illam penitus ſubdere ſe ſuo
Attentamque iubens eſſe Deus viro
Certis ritè regendam
Tradit legibus imperI.
Hoc ſentire dabit, qui bonus impia
Flagranti inuidia, præcipitem ac necem
Fratris iam meditanti
Caijno monitor citus
Occurrens, Quid agis, quæ mala concipis?
Inquit, quid ſceleris pectore confoues?
Vnde hæc mœſtitia, vnde
Vultus diſſimiles tui?
Impugnare valet vis mala te inſitæ
Feruens nequitiæ, vincere non valet
Nolentem. Dominum te
Agnoſcat celer effice.
Adſum nempe tibi conſilio atque ope;
Primos illa ferox cùm ciet impetus
Robur prome, ſequenti
Congreſſu inſtiteris, cadet.
Huius tuque premes letiferum caput,
Et caudam feries victor, vt vndique
Te conata ligare
Spiris inualidis gemat.
Nec ſecurus abi, quod ſemel improba
Cedat victa tibi, ſed vigilans caue:
Nam mentita ſoporem
Fallax inſidias parat.
Tantis ille tamen vocibus, heu, ferum

Nolens propoſitum flectere, in impiam
Fraternæ necis omnes
Culpam ſeque ſuos rapit.
Pollutum innocuo ſanguine & horridis
Turbatum furiis & male conſcium
In ius ſpemque ſalutis
Hunc clemens reuocat Pater.
Et iam poſſe, docet, quæ mala geſſerat
Porrò flere diu & cætera temporum
Venturoſque dies poſt
Vitæ corrigere artibus.
Sic & quiſque nefas præueniet volens
(Hoc & præſtat enim) ſic ſacer admonet
Sermo, quem Deus alto
Verax edidit æthere.
Quod ſi debilibus nec bene prouidis
Humanis noceat mobilis artubus
Error, non medicinam
Certè qui faciat deeſt.
Idem quique dolet, cernit vbi in graues
Morbos ire viros, quos tulit integros,
Idem nolle hominem ſe
Quemquam perdere deierat.
Vitæ ſe artificem comprobat indies,
Inuiſitque domos, præcipit & docet
Quæ vixiſſe volentem
Obſeruare magis decet.
Teſtis denſa meis verſibus omnium
Vatum turba, quibus perpetuus fuit
Clamandi labor vſque,
QVI LANGVES, MEDICVM PETAS.
Sed natura docet, quæ ſapientium
Olim corda virûm condere nobiles
Leges, æquaque iuſſit
Iuris principia edere.
His fas atque nefas cura prior fuit

Deſi-

Definire ſuis ordinibus: ſacra
Non miſcenda profanis
Noto cernere limite.
Quos priuata domus, publica quos magis
Res tractata modos poſtulet, ac fides
Qualis coniugij, quæ
In ſanctos pietas Patres?
Qui mores iuuenum, quæ reuerentia
Sit cano capiti, quis pudor ac decor
Formandæque puellæ
Laudandæ ac puero indolis?
Rurſuſque implicitum litibus improbi
Ciuis quâ ſocium liberet arbiter.
Et quàm iuſta ſceleſtos
Auſus pœna coërceat.
Vt ſit tuta bonis commoda & innocens
Viuendi via, quam qui inſidiis ferox
Turbarit, cadat vſque
Concepto ac pereat dolo.
Num tu priſca hominum ſecula dedita,
His fruſtra ſtudiis credere iam potes?
Tot præcepta beatæ
Vitæ, tot monitus dare,
Diuæ lucis ope, imò & rationibus
Monſtratum interius, quid valet integer
Senſus, quidque animi vis
Poſſit diffugere aut ſequi.
Sed quos magna licet dicere callidos
Quæ tu pulchra probes, quæque diſertius
Admirere locutos
Finis pœnituit tamen.
Indignos ſuperûm ſpirituum choro
Denſas reiiciens in tenebras Deus
Inter ſæua gigantum
Iudex perdidit agmina.
Vſurpata Dei lucida munera

Auſos

Auſos nempe ſibi addicere, & nimis
Humani ambitioſis
Niti viribus ingenI.
Hinc & quiſque ſuum conſilium vafer
Inuentumque ſtudet ſiſtere pertinax,
Seductamque cateruam
Felicem vocat vnicè.
Quamuis te haud alius, Petre, potentiùs
Horum ſcripta tenet, dexterius neque
Verſat ſiue Latina
Siue & Graia volumina.
O non cura tuæ ſit tibi gloriæ,
Neu faſtus placeat perſimilis caue,
Cuius prima venena
Et cor & caput occupant.
Aſt authore tibi numine creditum
Alba quidquid erit ſorte fatebere,
Grato idem tibi ponet
Auctor plura benigniùs.

DE LEGIS BENEFICIO ET OFFICIO.

Carmen Sapphicum.

NONNE Sol ridens hodie ſereno
Mane prodibat, placidumque apertis
Aureæ lucis foribus parabat
Tendere curſum?
Nulla vis ignis validi vel æſtus
Tempora externæ taciturna noctis
Nempe turbarat, calidis nec Eurus
Flauerat alis.
Vnde nunc vernis furit ardor horis?
Fumat & celſum rigidi cacumen
Montis, accenſæ trepido fauillæ
Æthere ſurgunt?

Quis

Quis fragor, quod vel rapidæ procellæ
Impetu ſenſum ſuperante murmur
Nube flammata ſonat, & ſtupenteis
Concutit aures?
Fallor an cæli tuba rauca ab axe
Intonat, quantum caua nulla noſtras
Aera per pugnas trepidante miſcent
Prælia voce?
Ergo vel totus celerem ruinam
Orbis expectat, ſuperi mouent vel
Bella terreno generi, atque Adami
Perdere prolem
Arbiter curat Deus, & malignum
Ignibus tradit ſcelus expiandum,
Tantaque errorum variata cunctis
Semina terris.
Et quidem ſecli meritum ferendas
Expetit pœnas, bona nulla quando
Simplicis veri, ac tenebris remota
Sidera lucent.
Sed bonus rector superûm probatis
Agniti ſignis monitu miniſtri
Eſſe ſecuros animi, iubetque
Fidere multum.
Protinus veræ pietatis atque
Ritè ducendæ placidæque vitæ
Summa veracem capita adfuturum
Dicere regem.
Anne erit viua Deus audiendus
Aure mortali? poterítve noſtra
Ferre mens voces, quibus increpatus
Ceſſit abyſſus?
Pectore incluſum medium pauet cor,
Artubus preſſis nimio timore
Non tenent corpus genua, & comarum
Silua rigeſcit.

Præſtat

Præſtat extenſis manibuſque toto &
Corpore ac prono ſola ſancta vultu
Tangere attentos magis opperiri
Numinis alta.
Quid velit mens, queis paret innouandum
Vſibus orbem variare, lectæ
Virgines caſti puerique flexo
Poplite adorent.
Ecce perceptis populo tonantis
Vocibus diui veneranda verbi
Senſa iam conſtant; tamen & fruemur
Soſpite vita.
Gentibus nullis priùs ô nec vllam
Lata per turbam bene certa nunc vox,
Vox Dei interpres mihi nuncque ſalue
Ritè colenti.
Tu piis ſenſum ſapientiamque
Mentibus præſtas hominum, nec atris
Mixta opinantum tenebris doliſve
Lumina præfers.
In decem ſolùm monitis reductum
Expedis, quantum didiciſſe fas eſt,
Omnis & veri ſolida ac decori
Summa tibi ſtat.
Quis Deus, qualis placeatque cultus;
Qualis in patres pietas, nocendi vt
Nulla libertas, procul vt ſit omnis
Terra libido.
Furta, mendax, & mala fama, ſermo
Exulent, nil & cupiat tumentis
Impetus fallax iecoris, thori ſit
Sanctior vſus.
Neu domus fundúſve aliena & vxor
Plus mihi iuſto placeant, nec optem
Ipſe contentus propriis tuendam
Alterius rem.

Vltimis-

Vltimis quæ ſunt ſinuata verbis
Antea noſtræ haud bene nota genti,
Illa corruptus nimis arcta ſenſus
Clamat & horret:
Quippe ſubiectos cineri doloſo
(Quamlibet quondam nimium caleret)
Nouerat paulum, minùs ac timebat
Stultior ignes.
Iam modo cautus monitu ſeueræ
Legis & ſentit rabidæ venenum
Carnis, & iam nunc magis inſolenti ex-
uritur æſtu.
Oſſium cæcas penetrans medullas
Cordis occultos ſubis in receſſus,
Et probas noſtras, reprobáſue certo ex-
amine curas.
Criminum quamuis metuaris index,
Sacra virtutum coleris magiſtra, &
Inſtruis puros animos tenenda
Speque fideque.

AD MOSSEM DIVINÆ LEGIS miniſtrum.

Carmen Dicolon Tetraſtrophon.

CÆLO care ſenex impiger ac vigil
Sperneu:is numerum ductor Iſacidæ &
Cuſtos gentis ades, te neque carminis
Noſtri pœniteat precor;
Quamquam nulla meis verſibus in tuas
Aures verba volent, quæ ſolitus ſacris
Appellante Deo ex montibus integro
Senſa condere ſobrius.
Nam durum ſilicem frangere quæ valent,
Ardentemque facem inducere nubibus

Solua

Solus dicta capis lætus & intimo
Soſpes pectore contines.
Nil nos ex tenui puluere conditi
His Moſes ſimile expromere poſſumus,
Mutet corda niſi, qui potuit viros
Te interponere maximum.
Inſani at populi turbida murmura
Et vulgi furias tu patientiùs
Auditor toleras, & ſapiens graui
Compeſcens monitu, regis.
Iſtis mi meliùs dicere & aptiùs
Et gratis cupido ponere laudibus,
Quem te iuſſit amans eſſe Deus, tuo
Vati attende benignior.
Te pulcra egregium forma nec alteri
Æquandum puero legibus excipit
Crudelis genus atque, heu, malè prouidi
Veſtrum perdere principis.
Quin ipſis mediis in penetralibus
Gaudet te aula ſuis ſumptibus (agnitum
Hebræo genitum ſanguine quamlibet)
Longos creſcere per dies.
Donec certa aderunt tempora, cùm Deus
Curis & variis vſque laboribus
Aptum præficiens ornet, & omnibus
Mirandum expediat modis.
Quem reges metuent, cui ſapientium
Herbis docta malo & carmine fingere
Vel rerum ſpecies vertere, protinus
Victas turba manus dabit.
Te tandem populus liber amabilem
Præſtantemque ducem ſenſit & hoſtium
Ereptus furiis, & maris vndique
Iuſſis cedere fluctibus.
Te monſtrante modos, reddidit inclytæ
Carmen lætitiæ, quod docilis ſoror

Pulſatis

Pulſatis cecinit commada tympanis
Auctori & poſuit Deo.
Iam nobiſque ſuæ ſiſtere nuncium
Vocis ſiderei te voluit poli
Rector, quamque ſolum, quam mare contremit,
Quam mortale pauet genus.
Viuis ſancta Dei excepimus auribus
Clara ac dicta, quibus candida veritas
Et ſimplex pietas nititur, ac boni
Pondus cernitur ac mali.
Sed ſunt plura quibuſque vlterius Pater
Inſtruxiſſe nouum nunc populum parat:
Aſt hæc noſtra breuis conſcia iam ſui
Virtus ferre minùs valet.
Ergo cura tibi, (cui benè contigit
Poſſe audire Deum, poſſe quoque alloqui)
Eſto liberiùs quærere quid vetet
Princeps, quid iubeat volens.
Nam reſponſa tuo interprete poſſumus
De ſermone auidi percipere, ac tuis
Profeciſſe iuuat nos monitis fides
Omni quæ dubio eximit.
Prædenſas nebulis findere tu potes
Nubes, & penetras lumina, queis Dei
Texuntur tunicæ. hinc ſenſibus integris
Et nobis melior redis.

DE LEGE INDITA, DEQVE AVDITA.

Carmen Dicolon.

DOCTRINAE ſolidum decus
Lumenque officij ac ſemina viuidæ
Virtutis dederat Pater
Menti innata hominum creſcere, cùm bonus
Humanum voluit genus
Rectè poſſe ſui, poſſeque & omnium

Exercere animantium
Illuſtre imperium, ſiue per ætheris
Incertaſque maris vias
Pennis illa volent, & liquidum ſecent:
Seu queis per varios ſoli
Tractus alma dedit Terra vagarier,
Affectata ſed impiis
Poſt auſis geminæ praua ſcientiæ
Vis & copia diſpares
Sentes ac tribulos prauaque cardui
Grana ac plurima miſcuit.
Vnde exorta ſeges creuit & aſperis
Errorum cumulis mala &
Radice & paleis implicito ac nimis
Heu diſcrimine ſenſuum
Humanis tenebras mentibus intulit:
Et iam candida ſimplicis
Veri lux variis artium & ingenI
Deformata notis erat
Tunc pulcri ſpeciem prodidit illitum
Falſis turpe coloribus,
Atque hærens penitus cæcus Amor ſui.
Donec prouida mens Dei
Et noſtræ haud meritæ gentis amantior
Magni conſilij priùs
Ac ſancti vſque memor propoſiti ſui
Palantem ſobolem Sethi
Purgatas reuocans dirigit in vias.
Quid verum, quid honeſtius
Succreſcente decem ponderibus docet
Iuſto examine diſcere
Quid lex æqua probet, quid notet improbum,
Scire & quid valet integra,
Quid natura neget perdita conſequi:
Quale & quamlibet arduum
In diuam requiem ducat iter pios:

Et quam deuia non probis
 Et quam longa malis plena laboribus
Infelice via exitu
 In mortem pateat regnaque triſtia.
Illum ſenſibus integris
 Et lotis manibus ſobrius audiit
Dicentem populus tremens
 Cum præcepta decem condidicit breui
Et ſermone iuuantia,
 Et genti patriis edita vocibus;
Sed quarum inſolitum tamen
 Præceſſere ſonum flammea lumina
Atque æthræ tonitrus graues
 Fulgentiſque nimis fulguris impetus.
Namque hæc præmonuit tuba
 Magni terrificum proloquium Dei,
Quo tellus tremuit pauens
 Et concuſſa ruunt culmina montium;
Perturbataque flumina
 Aduerſo trepidant voluier alueo.
Ergo lex animo iniicit
 Edocto grauibus fræna timoribus.

VERI ET HONESTI ELEMENTA decem, Deo dictante, excepta.

Ode Tricolos Tetraſtrophos.

PVRGATIS moneo ſenſibus audias
 Intentoque animo, credere quid tibi
 Quid noſſe expediat, ſi
 Vitam viuere non piget.
Vnus ſemper ego nec numeri capax
 Conſultuſque tibi ſim Deus, vnicus
 Præſentiſque ſalutis
 Æternæque Pater vocer,

At non æqua mihi adiungere numina,
Néve error ſubeat ponere proxima,
Cui natura ſecundum
Eſſe & cui ſimilem negat.
Iam quodcunque ſui præbet imaginem,
(Mortales oculis cernere quam valent)
Id feciſſe caueto
Aut finxiſſe Deos tibi.
Rector ſolus ego ſim tibi, vt ætheri &
Terris qui imperito, qui mare tempero,
Et cui quidquid habet polus
Atque inferna ſubeſt domus.
Vnum toto adeò pectore diligas
Me, quantumq́ue animo & viribus es potis:
Partem nolo ego amoris
Ex te, nolo nec æmulum.
Vindex vſque malæ mentis, vt interim
Cunctator, ſcelerum non tamen immemor:
Cui delicta parentum
Ætas quarta ſequax luet.
Idem perpetuis vſque memor bonis
Exornare pios ac mihi deditos,
Et ſeruare paratus
Seclis innumeris feror.
Tum noſtri ratio formaq́ue nominis
Eſto ſancta tibi, nec temere edita:
Quam quicunque profanet
Non immunis aget diu.
Feſto ſancta tibi ſit requies die,
Quo ſeruus vacet, & quo pagus & boues
Ingratoq́ue labori
Cedat turba libens domi.
Hoc veſtri iuuenes, veſtri & agant ſenes,
Vt mundi memorent principia & modos,
Quo pacto ſator ipſe
Quondam præſtiterim volens.

Vt ſex

Vt ſex compoſitum lucibus hoc decus
Rerum prodierit, luceque ſeptima
Quarto vt ſole quietem
Æternam repetat Deus.
Debes grata pius iura parentibus,
Per quos vita tibi me duce contigit.
Huius nam pietatis
Vſum longa feret dies.
Humanis penitus cædibus abſtine.
Ne mœchus fueris, néve libidini
Vlli deditus. aque
Furto contineas manum.
Fratri cùm fueris teſtis & arbiter,
Nulla falſa, caue, ignotáue proferas.
Fraternam cupias nihil
Vxorem, nihil aut domum.
Nec quicquam alterius (perplaceat licet)
In votum veniat, non animans neque
Quidquid fertili in agro aut
Intus poſſidet aut foris.

DE TENTORII VAGI MATERIA & cauſa.

Ode Dicolos Diſtrophos.

QVæ manus artificis, quæ tanta induſtria pulcrũ
Maturauit opus mediis in
Deſertis Arabum teſquis? vbi nulla calente
Sub Sole harùm eſt copia rerum.
Vnde aurum, gemmæ, argentum, variataq; Sethim
Ligna hominum referentia formas?
Heic & purpureum eſt iterato murice vellus,
Eſt puri lana æmula cæli.
Et niue candidius linum eſt, atque horrida taxi
Imbribus arcendis bona pellis:

Contextuſque capræ telarum pilus in vſum;
Heic aries rubra tergora præbet.
Diuitias tamen has vincit ſpecieſque decuſque
Pulchrum operis peregrinus & vſus.
Non vllis vnquam terris, non axe ſub vllo
Talia mirari accidit antè.
Ponderibus deducta ſuis numeriſque modiſque
Cuncta iuuant habituque ſituque.
Vel Deus hæc auctor iuſſit docuitque parari,
Vel ſtruxit Deus ipſe magiſter.
Non equidem humano ingenio non artibus vllis
Mortales hæc ponere credam.
Et gens hæc nuper tantum paleiſque lutoque
Atque argillæ puluere quadrum
Vel laterem premere aſſueuit duraréve flammis,
Semper rudis ad cætera inerſque.
Sic eſt, diuinæ eſt aulæ, quam cernis imago,
Illam olim Deus ipſe repertor,
Ipſe ſuis Deus ornabat quondam vſibus vnam
Sedem aptam regique Deoque,
Dotibus inſtructam multis, variiſque nitentem
Partibus & ſplendore micantem.
Dum tamen is terras dignatur viſere, & inter
Mortales ſua ponere caſtra:
Dumque Sethi ſobolem deducere ad æthera & alta
In ſedes tenditque fouetque.
Quamuis augusta hæc formis ac diuite quamuis
Materia, tamen arcta nimiſque
Vilia ſunt ſuperis collata admotaque templis.
At ſeſe demittit in hæc, vt
Nos ſibi conciliet, doceat nos, inſtruat iſtis
Paruos erudiatque figuris,
Mentibus ac teneris ſapiendi incendat amorem,
Secum ſidera & alta petendi
Vt iam pœniteatque ſoli terræque iacentis
In tenebris hanc viuere vitam.

Vt vo-

Vt voto meliore aliam patriamque domumque &
Manſurum vltra ſecula regnum
Correpti optatum ſtudio flagrante rogemus
Se duce ſeque viam præeunte.
Hinc ergo certum alloquium reſponſaque gentĩ
Vocibus humanis referenda.
Hinc vitæ diſcenda piis præcepta, quibus mens
Se tenera informetque regatque.
Inque fidem ducatur amans, in ſpemque feratur,
Accenſos & ſentiat igneis,
Quos amor authoris tanti dominique patriſque
Excitet imis in pectoribus.
Et moueat cupidam ſeſe vt componere ad iſtud
Exemplum meditata laboret
Illius vt compos demum exemplaris in æthram
Commigret pars certaque fiat.
Viderat illud auens vates, cui contigit vni
Mortali flammantia montis
Culmina nil pauido petere, & loca celſa ſubire,
Ac impune audire loquentem
Cominus vſque Deum, & bene reſpondere parato
Et populis gentique ſuorum.
Numinis alma ore inuariato dicta referre,
Dictatas & ſcribere leges,
Ille Dei monitis præſenti & munere iuſſos
Fabros artificeſque vocauit,
Præfecitque operi ſapientem Bezelaelem
Achiſamiden & Gholiabum.
Queis viſa eſt parere omnis natura metalli
Ad nutum mentemque manumque.
Lignorum queis ſilua omnis conceſſit in artem
Et cæſa eſt & læta cucurrit.
Dura quibus vis gemmarum lapidumque fecundos
Sulcos exhibuit dociteſque.
Et quidquid ſeu lana valet, ſeu fingere linum,
Seu corium pili atque caprini, &

Quem medicata poteſt ſpecies miſcere colorem
Cuncta viris ceſſere duobus.
Gloria non illos, non laus priuata, neque vllum
Solicitos malè dulce lucellum,
Vnica ſed pietas agit exercetque miniſtros:
(Sancta piis ac publica cura)
Menſibus haud multis ita tantum conſtitit & tam
Pulcrum opus, vt iam inſcribere ſit fas:
Lineolas clemens duxit Deus, ipſe deditque
Artifices operiſque parentes.
Quid mirum? quinque ille homini cōſtruxerat antè
Mundana hæc quoque templa diebus:
Ipſe repentè hominem deducet in aſtra beatum,
Quem templum ſibi & eſſe iubebit.

PONTIFICIS LEGITIMI INITIATIO.

Ode Dicolos Diſtrophos.

SEPTEM currite nunc dies
Immunes operum litibus, & procul
Noſtri peſtis & ingenI
Abſit mœſtitia, atque auolet vltimum
Exul cura animi in mare,
Ac nil cuncta niſi verba pium ſonent.
Accedant hilares propè,
Sed quæ turpè nihil lætitiæ afferant,
Cuius pœniteat malè,
Cuius vel memores eſſe pudor vetet.
Non heic impia numini
Vano ficta malis feſta furentium
Vatum carminibus neque
Ludi ſunt, quibus inſolens
Vulgus queis pueri turba rudis vacat.
Hæc hæc inſtituit bonus
Et noſtri generis paſtor amans Deus,
Qui nos eripuit graui

Vindex

Vindex ſeruitio perpetuo ac iugo,
Multis quo miſeri antea
Vexati & variis vſque laboribus
Longo tempore perditam
Vitam protulimus morte minùs leuem,
Damnati illacrymabilis
Parere imperio, legibus & noui
Regis quo aſperius nihil,
Pœnarum tulit aut ingenioſius
Mater terra tyrannidum
Multo ſole tumens quam Sihor illuit. *Phiſon.*
Ergo compedibus feri
Erepti & laqueis principis, ac malis
Gens educta periculis
Queis hoſtis premeret, queiſque minax iter,
Quidquid viuimus ac ſumus,
Totum quodque agimus, muneris hoc ſui
Princeps eſſe Deus iubet,
Et noſtram meritò perpetuam ſibi
Iam poſt hac operam arrogat.
Mutatæ ac dominum ſortis haberier,
Se vult, iuraque poſtulant.
Expertos quoque & hæc conditio iuuat,
Namque hæc inclyta ſeruitus
Nec regno impar erit, regibus at prior,
Sed clementior hic herus,
Semperque ipſe ſuis moribus integer
Pro tot millibus vnicam
Appellat famulos ſufficit ac domum;
Sancto addicta palatio
Quæ certis monitis iureque & ordine
Præſcriptas repetat vices.
Et firmis celebret ritibus ac modis
Aulam principis optimi,
Qui cælum arbitrio voluit & igneum
Solis qui thalamum inſtruit.

Cui paret pelagus, quem ſubeunt leues
  Venti quâlibet impigri.
Currus vſque rotas dirigere innuat.
  In terris tamen huic quoque
In cœtuque hominum degere, & igneo
  Conſtare imperio placet.
Æternæ ac ſimiles ponere mobiles.
  Sedes quas adeant ſtatis.
Quas læti celebrent temporibus pij.
  De totoque ſacræ tribus
Quæſitum numero dedicat vnicum
  Inſignemque coloribus
Auro & purpurea veſteque fulgida,
  Arcano quoque nomine.
Inciſo atque ſacræ frontis honoribus
  Inſcribit proprium ſibi.
Et mitis creat hunc pontificem modis,
  Hunc vult dicere compotem
Conſultumque ſui iuris & intimi
  Eſſe hunc conſilij virum,
Semper participem, publica quo ſalus
  Et quo diua beatitas
Humani generis ſummaque clauditur,
  Opportuna petentium.
Iam quandoque dabit certaque maximis,
  Hic reſponſa negotiis.
Admiſſuſque adytis conſcius ac ſacri
  Et veri monitus feret
Quæ ſint, quæ fuerint, quæque volatile
  Tempus præterita obruit.
Tarda aut poſt veniens hora quod occulit.
  Hic immunis & innocens,
Et cunctis ſacer ac integer artubus
  Et voce & prece ſupplicans
Supplex aſſiduo munere crediti
  Cuſtodem populi Deum

Placabit

Placabit vituli aut ſanguine debito
Pinguis pectore vel bouis,
Seu capri ille velit ſiue bidentium
Nido aut compare pauperum.
Cernet vel gemino turture victimam
Quas non aut macula hoſtias
Interni aut vitij dedecus improbet,
Talem qui reliquis litet
Vult ſacrare Deus vendicat & ſenem
Septenoſque dies dabit.
Secretum è mediis ciuibus imbui,
Ornatum quoque myſtica
Veſte ac multiplici cùm bene candido
Natorum grege ſuauibus,
Perfundi caput hoc mandat odoribus.

DE SACRIFICIORVM INITIAtione, vſu, & ſigno.

Horridis templum populus frequens quod
Pellibus tectum petit, elegantis
Celat occultam ſpeciem laboris
Diuitias &.
Tempore haud longo nimiis neque vno
In loco hæſuram Deus hanc dicari
Mobilis vitæ ſpaciis vagantem
Iuſſerat ædem.
Hanc ſacer lecti populi miniſter
Ritibus certis varias per horas
Vnicam cæſis vitulis capris vel
Imbuet aram.
Siue lanatæ pecudis cruore
Myſticam quarto geminamque cornu
Spargat, & ſament reſoluta largis
Ignibus extra.
Hic dies primus generi expiando

Inſtruet

Inſtruet ſemper reparanda ſole ex
Orto, & Occaſum ad properante bini
Munera ſacri.
Primus hic feſti triplicis niteteis
Monſtrat auroras, quibus vſque ab omni
Gens tribu hæc cunctos repetens per annos
Templa ſalutet.
Ergo ſe primum caput hîc Sacerdos
Cætera adiungens populi trementis
Membra commendet ſobrius, Deumq́ue
Sanguine placet.
Poſcat & mentem facilem piamq́ue,
Et probos mores,dociſeſq́ue honeſti,
Nulla quos facti vitioſa frangat
Culpáve dicti.
Interim vos vir, iuuenis, puerq́ue &
Mater & virgo ſimul adprecati
Flaminis votis bene nominata
Iungite verba.
Purus atque expers penitus aceti
Panis admotas epulas adornet
Molle far pinguiſq́ue olei liquores
Et pia thura.
Nec ſalis gratos modicoſq́ue guſtus
Numen in ſacris epulis requirat,
Blanda ſed flaui & calidi voluptas
Mellis abeſto.
Quamdiu præſens fluit hæc figura,
Seculi ac præbet ſpeciem futuri,
Talibus nunc vos Deus occupatos
Partibus audit.
Vos tamen veſtris (moneo) repertis
Parcite. huic quiſquis ſtudio inſolente
Vel nouum iunget, minuétve legi,
Verterit aut quid,
Heu malum genti exitium ſibiq́ue
Numins

Numine irato pariet, dedere
Quam graue exemplum ſenis ante mœſta
Lumina nuper.
Nadab atque Abiud geminum parenti
Pignus, & ſanctis tunicis decoro &
Pileo inſignes, quibus innouandi
Dira libido.
Ignis externi ſubitò excitata
Cælitus flamma ſimul & decorem &
Abſtulit vitam medio in iuuentæ
Flore caducæ.
Tollere hos iuſſus populus ſtupenda
Morte miratur periiſſe, membris
Integros quando nihilumque aduſtis
Veſtibus effert.
Torret occultos animi profani &
Intimos ardor ſubit in receſſus,
Vt putes viuam, perit attamen, quam
Cernis imago.

DE SACERDOTIS AHARONIS OPERE.

Carmen Dicolon Diſtrophon.

VM Pater omnipotens manſuras æthere ſedes,
Dumque homini cæleſtia regna
Comparat, atque ſuum maturat mittere certus
Artificem, quo cuncta bonus iam
Fecerat eſſe iubens, & quo reparanda miniſtro
Prouidus intenditque fouetque;
Interea vos mutandum olim meliuſque ferendum
Veſtrum iter hoc bene currite ſecla.
Authori parere ſuo bene docta nec vnquam
Fallax natura hæc pulcerrima mundi
Adſit, & aſſiduis exemplis nunc rude Adami
Terrenum genus inſtruat, & ſe

Aſſimilem præbere aliis, quas cernit in orbe
Ordinibus rebuſque docendo.
Commoneat, quo iam ſtudeat mollire ſuum quo
Conſtiterat limum que lutumque.
Commoda quo fictor potioribus aptaque vaſa
Vſibus efficiatque probetque.
Interea mutandum olim meliuſque ferendum
Veſtrum iter hoc bene currite ſecla.
Teque adeò manet iſtud opus te, magne Sacerdos:
E multis nam millibus vnum
Te populi vult eſſe Deus, quo conſule Iacob
Sancta domus ducatur, & inter
Iactati varias luctas hominumque Deique
Grande decus nomenque reportet.
Te duce & aſſiduo ſtudio monſtrante monendus
Ire viam diſcet peregrinus.
Qua per ſicca Arabum loca per deſerta vagetur.
Tu mœſtum ſolabere dictis,
Tuque fidem infirmo doctor, tu ſpemque reduces,
Tuque addes animum quoque laſſo:
Atque mali atque boni quæ ſit ratio ordoq;, præſens
Oſtendes & inutile quid ſit,
Vtile quid, quantum vulgaris diſcrepet error
Quidque ferat ſapientia veri.
Turpe quid offendat ſuperos, iuuet & quid honeſtũ,
Diffideant vt faſque nefaſque.
Hærere & quæ iuncta negent, ſociata dehiſcant
Quas rerum concordia cingat.
Ac malè diductos bene conciliabis amicos,
Pacis eris cultorque ſatorque.
Diſſimulator item reuocabis, cùm quis aberret,
Atque grauis placiduſque repones.
Interea mutandum olim meliuſque ferendum
Veſtrum iter hoc bene currite ſecla.
Idem ſolicitus pro te pro gente tuorum
Semper ades, precibuſque vacato.

Attubùs

Artubus aſſidui aut vituli pecudíſve cruore &
Farre pio ſalienteque mica.
Infenſi ob noxas lenito numinis iram,
Cui iacula eripie ſque flagella
Seque dabit facilem venietque in vota vocatus
Et precibus bonus annuet vltro.
Tu modo te purum ſeruato, tuque fidelem
Senſu animis & mente profani
Vulgi ſemotum ſtudioque ardentis iniquas
Diuitias & opes cumulare.
Vnica cura tibi conſtet populíque tui & ſors
Vnica ſumma boni Deus vnus.
Interea mutandum olim meliuſque ferendum
Veſtrum iter hoc bene currite ſecla.

DE SACRI MINISTRI OTIO & negotio.

Carmen Dicolon Diſtrophon.

QVidquid ſub Sole eſt ipſa & rota feruida Solis,
Deducta lunæ & lumina:
Signorum varios obitus & tempora & ortus
Diemque noctis ac vices:
Et quando obſcuris obductum nubibus imbres,
Cælum niueiſque comparet:
Et quando nimio tellus durata calore
Flauis areſcat meſſibus.
Ipſe Pater vobis mandat noſcenda, ſuiſque
Modis tenenda præcipit.
Dum celebres ſtatuit luces feſtaſque calendas
Certo ſacrandas ordine.
Idem otI quidquid ſupereſt pulchrique negotI
Curare cognitum iubet:
Atque quaterdeno diuerſum nomine quidquid
Seruile factum dicitur.

Namque

Namque opere atque operis geſtit ceſſare ſolutus
Septenus arcanè dies.
Lucibus his cæli Dominum terræque mariſque
Rerum parentemque vnicum,
Et quæſiſſe datum eſt ſtudio & petiiſſe fideli
Quâ ſcire mortali expedit,
Queis ſibi cuique modis veneratum flectere ſit fas
Mundi hunc ſuique principem.
Credere conueniat quãtum, quid poſcere, quid non
Sperare quid ſit vtile:
Coniugij quam ſancta fides ratioque decuſque,
Quæ pura vita cælibis.
Inſidioſa homini ſuperiſque inuiſa cupido
Quàm tetra ſit, quam multiplex.
Puro animo indignas epulas capitique nocentes
Neſcire ſit vobis nefas,
Vnde ingens rerum numerus diſcendus, & omni
In ſorte diſtinctum genus:
Vt quodcunque olim ſcelus vlciſcentibus vndis
Vitalis arca exceperat,
Siue feræ placidúmve pecus ſeu reptile veſtris
Certis notetur vſibus;
Piſcibus atque auibus quæ ſit natura, quid intra
Ripas ſit, atque littora.
Non vos herbarum vires, non arboris vlla
Vos forma fallet fructuum.
Hinc varios hominum continget diſcere mores,
Illum probum, illum Barbarum:
Et quid recta ferant vitæ præcepta probare
Monſtrabit, & quid reſpuant.
Quo ſe quiſque liget voto; quid ſponte dicatum
Poſcatur aris addere.
Agricolis qualem ſegetem ſpes debet, egenum
Soletur & quæ portio.
Telluri & requiem ſeptenus vt afferat annus
Optanti amicus pauperi:

Expecta-

Expectata diu, nimiumque excreſcere viſa
Seruis vt ætas accidat.
Iam quæ legitima, & quæ ſit vitioſa, nec aris
Cultris nec apta victima:
Quid templi decor expectet, reparandaque tecta,
Quæ ſint miniſtri prandia.
Aſſiduumque ſacrum populi repetendaque bina
Cunctis diebus munera.
Quid memorem feſtis peragenda addendaque certo
Ritu apparata ſolibus.
Vltima nec ſpectat, nec tangit rara cauendi
Vos cura ſingulis virûm.
Proque nota errorum vario ac diſcrimine quantas
Expoſcet ignis hoſtias!
Qualia ſint membris animo & contagia, quæ ſint
Muris notæ, & quæ veſtibus,
Scire datum vobis, vobis meminiſſe relictum
Purgare & expiantibus.
Magnus item labor officij iuriſque tenendi,
Quod conferat mortalibus.
Publica priuatis vt ſunt diſtincta docere,
Veſtri quoque eſt pars ordinis.
Neu quiſquam alterius rapiat bona, néve nocendo
Subducat aut malis dolis:
Immeritum ne quem lædat, nec læſus iniquis,
Se vindicem det artibus.
Nullum operæpretium, vos nulla ignota latebunt
Menſura, nulla pondera.
Quid valeant numi, quæ ſit laudanda metalli
Mendoſa quæve fuſio.
Promiſſi ſeruare fidem, conuentaque certis
Legeſque pactis debitas,
Et mercedis opus metiri, operæ atque labori
Cenſere iuſtum præmium:
Denique iura vetent quidquid damnentq; probétve
Diſcernere ad vos attinet.

Iudicibus quodcunque piis Deus arbiter alma:
In lege mandat editum,
Sanctis productum chartis condiſcere veſtrum,
Veſtrum diſertè dicere eſt.

SABBATHI CELEBRITAS & myſterium.

Tertias iam nunc properante ad vmbras
Sole, poſt igneis teretemque fumum
Ritè curatos medio in receſſu
Sanctaque liba,
Atrium complet populus, reductam
Nec capit gentem locus, ô miniſtri
Hoſtiæ purus veniat calentem
Sanguis ad aram.
Maior huc quàm quæ caderet profeſtis
Solibus pinguis pecus expeditos
Imbuens caltros adipe atque opimis
Ardeat extis.
Septimæ quando pia ſacra lucis
Ponimus templo, colimuſque mundi
Conditi teſtem requiem, recenti &
Iure dicatam.
Hanc graues nulli temerent labores,
Biſque bis denos teneantur intra
Artium fines, baiulus nec vlla
Pondera verſet.
Sed vacet pagus, vacet otioſa
In domo ſeruus, niuea haud puellis
Penſa diſponant dominæ, quieſcat
Cum boue aſellus.
Nil vel à lucis ſolidæve noctis
Partibus demens rapiat cupido;
Pectora hinc vexans dolor, atque edaces
Cedite curæ.

Alea

Aleæ, ſpurcum melos, atque ludus,
Deſidis vitæ maleſuada pars hinc,
Hinc procul voces fatuæ, iocorum ac
Dedecus omne.
Veſpere à primo incipiens ſequentis
Noctis ad ſtellam ſuperante oliuo
Ferueat non & moritura feſtis
Flamma lucernis.
Vocibus plebes bene nominatis
Flamini ſanctas operato ad aras
Bis die concors faueat, preceſque
Commoda iungat.
Ille dum munus peragit, ſonoros
Tibiæ cantus fidibuſque mixtos
Sentiat, docto ac numerum ſecuta
Tympana pulſu.
Hoc opus Leui docilis propago
Vrgeat, cuius Deus eſſe curam
Sacra diſcendi & voluit canendi ac
Sacra ferendi.
Sorte diuiſis operis choriſque
Atrium ſeruet, vigiletque lucem,
Dumque eunt longæ aut breuioris alta
Sidera noctis.
Pars tenens toto repetenda in anno
[illegible]mina, aut certos reuocanda ad ortus
Dicere adſcripto ſtudeat probatas
Ordine laudes.
Hæc vbi certa ſerie peracta
Cæteræ lætis varientur horæ;
Puræ & ad dulces epulas modeſtæ ac
Pocula menſæ
Diues & pauper veniant, Deumque
Aduocent fructu vario mari vel
Editas terris animas benignè
Paſcere promptum.

Huic & abſumtis dapibus ſupremo
Gratias verſu referant cateruæ:
Prima ſed conſtent animi ac fidelis
Gaudia mentis.
Copias quorum bene comparabunt
Ducta ab arcanis monumenta chartis,
Prima præſertim memor & creati
Lectio cæli.
Et nouum qualis fuerit per orbem
Tunc recens rerum facies, vt omnis
Docta ſit munus proprium tueri
Turba animantum,
Vtque præcellens genus imperatam
Verterit ſortem, cupienſque iniquæ
Gloriæ eſt auſum penitus negatos
Carpere ramos.
Quod boni extemplo magis at malorum
Extitit doctum, ſubitò ſibi dum
Conſcium magnis bona mixta prauis
Creſcere ſenſit.
Culpaque vt tandem vitium & profanum
Poſteræ gentis superûm ſeueri
Iudicis pœnas repetiſſe lentam
Mouerit iram.
Poſt Patres ſæui nimium tyranni
Legibus duris grauibuſque vinclis
Numinis dono memorent ſolutos
Se quoque & ipſos.
Alteram læti populum piorum
Quæ manet poſt hanc celebrent quietem.
Alterum ſeclum magis atque felix
Credimus æuum.
Cuius immotus nitidum diem Sol
Noctis expertem facit, ac laboris
Neſcium prorſus; grauis æſtus vnde
Frigora & abſunt.

Illius firmum ſolidi tenorem
Sabbathi nullis violanda curis
Gaudia, & nullos habitura ducent
Secula fines.

DE PASCHATIS RITV & cauſis.

SAcri feſtus adeſt dies
Menſis, principium qui dabit imparis
Lunæ curſibus annuam
Dum tendit ſuperans currere Sol viam.
Iam ter quincta reuiſere
Velox luna ſubit luciferam domum
Fratris; Veſperis hanc quoque
Nunc maior ſolito fax præit ignea.
Ergo vos pueri integri,
Vos & chara patrum pignora filiæ,
Mixti cum pueris ſenes,
Ancillæ ac famuli; quos eadem fides
Vni conciliat Deo,
In partemq́ue metus, in quoque gloriæ
Huncconferte domus gregem,
Noſtra hîc res agitur ſcilicet omnium.
Vxor ſolicita omnibus
Num quicquam penitus, caueris, ædium
Fermenti ſit in angulis:
Num vel quis lateat triſtitiæ liquor;
Namque hæc farreque ſimplici
Atque experte acidi ducere tempora
Et lex & ratio iubet,
Et curare animos addecet integros.
Ad primas epulas cubet
Nemo, conſideat nemo, ſed edito
Cuncti ſiſtite corpore,
Et virgæ teretes vel baculi alteram

Cænantum ſubeant manum,
Quæ longum ſpecie rettulerint iter.
Sed nec guſtus amarior
Herbarum atque inulæ aut tardior intybi,
Heic deſit ſapor; à quibus
Nemo immunis erit morſibus; intereſt
Primùm agnoſcere qualia
Dum ſerui fuimus pertulimus grauis,
Vitæ incommoda; quæ bonus
In iucunda Deus commoda verterit.
Ergo quatuor hunc mero
Diffuſo pateris, hunc colimus prece.
Agnum quæque ſuum domus
Expertem vitij cædimus hoſtiam,
Inſons cuius ineſt cruor
Et noſtris bibitur nunc quoque poculis,
Quin & viſcere, pinguibus
Extis ac teneris veſcimur artubus.
Huius frangere crus nefas,
Aut ſanctis vitium ponere in oſſibus,
Quicquam aut ducere inutile,
Aut in relliquias condere craſtinum
Ad Solem: omnibus vnica
Vno ſumpta die victima ſufficit.
Sanctis torruit ignibus
Illam læue veru virgaque punica;
Non has ferri acies, neque
Has nodoſa parat materies dapes,
Non decoxit aheneis
Feruens vnda cauis: tota ſed efficax
Succis ipſa ſuis caro
Inſtruxitque cibum vitæ & edentibus
Nobis munera contulit.
Nam ſic vſque graui ſoluere nos iugo
Seruitl Deus abditis
Verax conſtituit pollicitis; tamen

Huic,

Huic maior valde ac prior
Atque arcana ſalus ſubſtat imagini
Quam ſemper pius appetat,
Quam expectet populus, ſe mage liberum
Siſti ſi cupit intimo
Diſruptis animi è carcere vinculis.
Vos at ſtate procul leuis
Vulgi turba ſacris: quiſquis & improbo
Sordeſcens vitio effluit,
Et quem ſigna pij de gregis ordine
Sancto ac fœdere ſeparant,
Et lex eſſe ſuo de numero negat.
Nos grato memores diem,
Nos noctem deceat tendere carmine:
Aſt laudum exiguo pudet
Tantarum numeros claudere termino,
Quas non arcta nimis virûm
Ætas percipiat, longáve ſecula.
Sed quod poſſumus, inuicem
Hoc læti excipiant, hoc referant chori
Vltricemque manum crepent,
Emptoriſque ſonent nomina tranſitus,
Vitæ & munera liberæ,
Et quæcunque potens dicere dat Salus.

QVINQVAGESIMÆ DIEI PVBLIca lætitia & profeſſio.

Ode Dicolos Tetraſtrophos.

LVx exorta nitet ſeptima ſepties,
Quam qui non numerat, ſe quoque neſciat:
Non hæc ſeruus enim crimina negligens,
Non vir, non mulier fugit.
Gaudentes populi quique procul ſiti,
Noſtris quique habitant proxima montibus,

Huc puris tunicis, corpore & integro
Stratas perproperant vias.
Immundo medias non liceat pede
Prodire in plateas; nemoq́ue deſpuat
Sordentis vitij qui ſibi, & improbæ eſt
Labis qui malè conſcius.
Primumq́ue aſſiduas cædite victimas
Hæc quos cura manet, poſt etiam ſacras
In flammas veniat rarior & ſtati
Munus temporis hoſtia.
Cernis? cuncta nouis interiùs loca
Et cuncta exteriùs frugibus vndique
Complentur, vacua viſere neminem
Hoc templum deceat manu.
Gratus quiſque ſua huc pondera & annuæ
Meſſis, prima ſoli ac dona ferat libens,
Quæ iacto per agri culta benignior
Tellus ſemine reddidit.
Matura ante fores canaq́ue poſtibus
Pendent ſerta, leui quæ mouet impetu
Ventus. liba inopi diuidit, ac iuuat
Diues munere pauperem
Solennem pueri lætitiam canunt,
Et feſtam requiem turba frequens agit,
Hinc dulces calathis expediunt dapes,
Conuiuamq́ue vocant Deum.
At fas lexq́ue monent ducere ſobria
Gaudentes miſeram pocula quæ leuent
Curam; ſed memores contineant tamen
Mentes fidaq́ue pectora.
Nec ſanctæ violent gaudia fabulæ,
Neu quid rixa ſtrepat, neu pudor improbo
Cantu, néve ſinat ludere turpibus
Dictis veri & inanibus.
Omnis lingua Dei frugiferam manum
Paſcentemq́ue hominũ & quadrupedũ genus,
Et

Et laudet facilem frigida ſidera
Concordare calentibus.
Poſt hæc maius opus dicere candidum
Solem, qui meminit legiferum ſenem
Viuentis reducem è colloquio Dei
Sanis artubus integrum.
Illum dena quater lux licet edito
Fumantum tenuit culmine montium,
Ieiunum tamen haud imminuit fames,
Longus vel domuit labor.
Quin clara rediit fronte micantior
Et vultu & niuea canitie grauis,
Humanaque ſenex iam vice pulchrior,
Et ſanctus populo pauor.
Vlnis nixa ſuis, iunctaque pectori
Viſus ferre pater ſplendida marmora,
Formatum artificis tunc manibus Dei
Inciſum & digitis opus.
Sed quæ non meruit munera perfidum
Vulgus, fracta ſenex comminuit malis
Offenſus vitiis, ſacrilego aurei &
Cultu multa fremens bonis.
Inſtaurata quidem poſterior decem
Fert præcepta lapis; non tamen indicat
Authores ſuperos, ſcripta Deum probans,
At ſaxum eſt hominis labor.
Sed ſpes atque fides proſpera iam magis
Atque arcana magis tempora præuidens,
Venturamque diem, quæ melioribus
Mandata in tabulis dabit.
Cum priſcis potior vatibus ac prior
Et Moſe & patribus vir bonus, omnium
Votis qui expetitur quos Deus inſtruit,
Et terra & veniet polo.
Vnus polliciti conſilium Dei
Et præſtare ſatis potere & efficax,

Mutabit vetera, & ſufficiet noua
Non vertendaque ſecula.

DE SOLENNI BVCCINÆ SOnitu & monitu.

Carmen Monocolon.

SExtus menſis abit, luna recentibus
Septenum adnumerat iam noua cornibus,
Et nunc omnis ager, vitis & arborum
Et quæ poma creant multifidum genus,
Et nux præſolidis libera fructibus
Optatam requiem ducere geſtiunt:
Nunc & compoſitis horrea frugibus
Curuantur, ſuperant dulcia feruidos
Diſrumpuntque lacus muſta, nitet pyrus,
Ornans poma domos, vuaque penſilis.
Cultor gaudet agri, præteritæ neque
Impenſæve ſatis hunc operæ piget,
Nec voti memorem pœnitet aut ſpei.
Plures ergo iubet myſtica lex dies,
Quos luna hæc vario computat ordine,
Indulgere Dei cultibus annuo
Ritu & more patrum. ſcilicet omnibus
Puris prima canens inſonet auribus
Et certis numeris concaua buccina.
Iam lentos geminet, iam properet modos.
Delectus pecoris lanigeri pater
His robur capitis nutriat vſibus.
Nullus poſſe neget clangere ſeu rude
Seu doctum melius ſpiritus intonet.
Surdas nemo ſacris claudere vocibus
Aures poſſit item, qui bona gaudia,
Dignam qui requiem, compoſitum & ſuis
Curarum variis vſque laboribus

Dextro

Dextro quæſierit numine terminum.
Tunc partis dabitur diuitiis frui,
Quas nec tempus edax perdere: nec doli
Furum ſurripere aut inſidiæ queant,
Ærugo aut valeat rodere, nec mala
Peſtis gurgulio, non caries potens
Turbare exiguis robora dentibus.
Finis tunc operum lætior & quies
Et pax perpetuis dedita cantibus,
Æternumque virens alma beatitas,
Et ſeſe ipſe ſuis inſinuans Deus.

DE SOLENNI VMBRARVM pompa.

Carmen Sapphicum.

DVm noua incepto redeuntis anni
Lux nitet menſe, exiguiſque luna
Cornibus cæli properat ſerenum
Tendere curſum.
Cæteris multo populum calendis
Lætiùs ſeptem celebrare ſoles
Lex iubet celſo patribus recepta
Vertice Sinæ.
Digna ſecretis decorare templum
Ritibus dona expediat Sacerdos,
Curet & quidquid monet ordinati
Muneris index.
Sed viri & pubes marium relictis
Vrbibus priſcum renouare morem
Gaudeant campi ſpaciis agrique in
Libera migrent.
Arborum truncis ſolidoque vallo
Quiſque frondentem ſibi texet vmbram,
Quæ domus turbam capiat ſedentem,
Quæque cubantem.

Quam-

Quamlibet pulchra ſpecie decorum
Et bene inſtructis varium figuris
Pendeat pomis penetrale dulci &
Pendeat vua.
Plurimis menſa dapibus referta
Ter die ingentem ſaturet cateruam;
Præbeat ſomnos repetita ſeptem
Noctibus aula hæc.
Talibus quondam caſulis parentes
Miſſa gens Nili è grauibus catenis,
Inuios errans Arabum per agros
Libera vixit.
Illa cælorum dominum ducemque
Secla laudarunt ſaturata dulci
Cand do & rore, ac gelida ſecundi
Fluminis vnda.
Tunc Deum clara validè adlocutum
Voce mortales pauidi audierunt,
Tunc decem docti tenuere ſanctæ
Carmina legis.
Publicæ humano generi ſalutis
Audiit plebes elementa; magni
Certa promiſſi & memoranda fido
Pectore dicta.
Nemo non albæ teneræque palmæ
Lulebum geſtet, ſaliciſque rubrum
Termitem longis foliis virentem,
Qualibus imæ
Cingitur vallis fluuius coronis,
Seque velantes virideſque myrtos
Addat, & norit bene comparatos
Iungere ramos.
Dextera arcanum manus vna faſcem
Ter ferens cælo moueat: malis at
Poma venenis inimica conſtans
Læua tenebit.

Cordis.

Cordis humani teretem rotundum &
Turbinem felix imitatus, auríque
Æmulus fructus, bene & efficaci
Gratus odore.

Iſta vos puris animis frequentes
Cuncta cernenti ſuperûm magiſtro
Ferte gaudentes, comiteſque magno
Ponite regi.

Siquis hæc mœſto bona feſta vultu
Negliget, lenta peragétve cura,
Hunc ſui edicit Deus exulare
Limite regni.

Cum viris ergo iuuenes ſeneſque
Læta gens, vulgi & ſtudiis remota
Pars canat feſtos reſonetque gratis
Vocibus hymnos.

Parſque permixtæ fidibus canorum
Tibiæ iungat ſonitum, decenteſque
Æs ferat pulſum numeros; libet cui
Plaudere, plaudat.

Qua valet quiſque & proprium probare
Gaudium prodat; rudibus decebit
Motibus, docto aut pede ſubſtrepentem
Pellere terram.

SECVLORVM
LIBER IIII.

DE TERRENI PROMISSI veritate & conſtantia.

Carmen Dicolon Tetraſtichon.

OPTATIS veterem ſedibus hoſpitem
(Quem iam ſæua fames fecerat exulem
Præeaſti imperio & munere filij
Et magnis opibus frui)
Tellus hæc reducem ſpectat amabili
Vultu, quam veteris iam nimis incolæ
Mores nempe piget ferre diutius,
Et cultor iuuat innocens:
Et cuſtos patriæ purus Iardenis
Teſtis quàm nimium creuerit Iſrael
Poſtquam ſolus, inops, & profugus ſua
Præter conſtiterat vada;
Nunc poſt alterius vidit vt exili
Tempus, tam innumeras ducere copias.
Queis genti varia & nomina dicere
Orbem ſufficere & poteſt.
Commendata polo charaque pignora,
Præſentiſque Dei numina ianitor
Agnoſcens, geminas vltro aperit fores,
Sicca & limina detegit.
Miratus lapides in medio alueo
Bis ſenum in tumulum ſurgere, quos diu
Seruans ipſe tenet, compoſitumque opus
Structoreſque operis refert.
Miro excepta modo gens pia fertilem
Glebamque & variis iugera fructibus

Et conſtructa ſactis montibus oppida, ac
Tractum perpetuò vtilem
Spectat, temperiemque ætheris, ac ſoli
Riuorumque decus, putaque fontium
Dona extollit amans dignaque laudibus,
Præterque indigenam omnia.
Hunc quam magna libet munierit loci
Artiſque aſperitas, magna etiam manus
Pugnandique ſciens, non tamen eripit
Vltoris gladio Dei.
Nam nec conſiliis impietas ſuis
Coniunctiſve opibus vertere iudicis
Decretum, aut meritas frangere numinis
Pœnas effugere aut valet.
Contemptum ſubitò vt flumina terminum
Præterfuſa ruunt, & ſegetem & nemus
Paſtorem ac rapidi gurgitis impetu
Voluunt cum pecore ac domo.
Sic denſi populi regnaque fortium,
Atque antiqua diu nomina principum
Exturbata breui tempore funditus
Irato pereunt Deo,
Munitis fruiturque vrbibus integer,
Inſtructaſque domus occupat Iſrael,
Et vinera ſubit, lætaque paſcuis
Aruo & iugera diuidit.
Auri diuitias & videt & ſtupet,
Argentique grauis maxima pondera,
Partiturque ſibi, datque abeuntibus
Gratus munera fratribus.
Iniuſtis videas artibus ac dolo
[illegible]im & perpetuis parta laboribus
Inſeruire, quibus ceſſit iniquior
Poſſeſſor, tamen haud libens,

DE PROMISSÆ TERRÆ FELICE VSV.

Solum pietatis cultum ad vitam beatam facere.

Carmen Dicolon Diſtrophon.

DVro è ſeruitij iugo
  Gens perducta mare ac teſqua per auia
In Chami celebres agros
  Promiſſam & requiem, diues erat ſatis
Certis muneribus Dei
  Telluriſque & aquæ ſorte ſalubribus.
Si non plurima iugera;
  Si non innumeri vitibus ordines,
Non arcis domus æmula
  Vrbis perpetuam ferret imaginem,
Vber gleba tamen ſoli,
  Et cæli tenuis ſpiritus, & ſuo
Horæ tempore fertilis,
  Anni dona dabant paſcere commoda
Vxorem grauidam, dein
  Felicem ſobolem cum ſaturo grege
Vernarum, & pecus & bouem,
  Sacriſque aſſiduas ignibus hoſtias
Rura emittere idonea.
  Nec quamuis auidum deſerat hoſpitem
Victus, nec petere indigus
  Norit, ſed miſeram deſpiciat famem.
Iſtis vtile quid magis
  Regum deliciæ fructibus afferant?
Quos non vel nimius labor,
  Humanive animi cura tenacior
Conſtruxiſſe parauerit,
  Seruandóſve alia in tempora conuehat

Fruſtra.

Fruſtra. Namque Dei manus
    Hæc præſtare poteſt almaque ſufficit:
Intentique oculi valent
    Multis firma diu ſiſtere ſeculis.
Hæc tum regna colentibus
    Hoc ſemper ſtudium congruit, hoc opus
Mente & moribus integris
    Præſentis placidi præſtita numinis,
Iam promiſſaque munera
    Confirmare ſibi, ſanctaque reddere
Et pura & bene conſona,
    Et ſemota nouis relligionibus
Et ritus veteres patrum
    Sacra & ſancta modis ferre fidelibus.
Namque hæc vt malè negligit
    Vel pompis populus miſcuit exteris
Senſit deterius miſer
    Cunctos ire dies, bellaque peſtibus
Vini ac farris inopiam &
    His permixta gemens plurima fert mala;
Ipſis perditus artibus,
    Queis ſe remque ſuam creſcere finxerat.
Et ni numen amantius
    Naturæque ſuæ perpetuò memor
Aut finem ferat aut modum,
    Et pœnas placido examine temperet,
Improuiſa neceſſitas
    Nil non præcipiti proruat impetu,
Et cum nomine publica
    Res omnis tenues in cineres eat.
Sic progreſſa per arduum
    Demens conſilium vis malè credula,
Humanæ ſapientiæ,
    Indulgens propriis iudiciis, malum
Optatque & ſequitur nefas,
    Extremumque volens exitium petit.

DE SAMSONE.

Magna bona leuibus curis petire.

Carmen Tricolon Tetraſtrophon.

NAm quo te incipio ponere carmine,
Laudis tuæ vel quem teneam modum,
Inſigne Danitis decuſque &
Mœſtitias pariture Simſon?
Fas ſit ſacratos dicere nunc tui
Natalis ortus, atque parentibus
Matrique iam fœdus neganti
Acta nouæ repetita vitæ.
Vexatus arctis vſque laboribus,
Damnis nocentumque Iſraël hoſtium
Te vidit inuictum tulitque
Principium ſolidæ ſalutis.
Senſit marini vindice te impius
Cultor Dagonis, quid ferat auxilî
Genti Abrahami rex Deus, ni
Crimina ſubſidium retardent.
Quin impotentem tu rabiem domas
Sæui leonis; moxque cadauere
Victoriæ prædulce munus
Sedula apis tibi mella condit.
Non ominatis prodere nuptiis
Auſus tuum qui coniugium ſocer,
Incendium natæ ſibique
Et ſegetum cumulis parauit.
Te non tuorum tortáve vincula,
Clauſæ vel vrbis præpediunt fores,
Perrumpis illa, atque has in altis
Culminibus ſtatuis trophæum.
Hoſtilem inermis terribilem impetum
Frangis tremendi robore brachij,

Et fortuita mala aſelli
Mille viros relegas in orcum.
Ebullientes quid memorem tibi
Et ſponte natas, quæ releuent ſitim
Lymphas, Deíque exaudientis
Dona bonum poſitura nomen?
Eheu bonæ quas inſidias valet
Menti libido tendere! vos procul,
Inſanienti, edico, amori
Siſtite, quos mea dicta flectunt.
Hic vſque ab aluo matris & vbere
Vulgi profanis vſibus abſtinens,
Cælo dicatus, fortis idem
Viribus indomitiſque membris.
Miranda ſancti munera Spiritus,
Roburque menti atque artubus inditum,
Fallacis effícta puellæ
Voce leuis lacrymiſque mutat.
Virtute cæli & numine præſtito
Exutus idem, iamque oculis minor
Verſare piſtrini molares
Cogitur, opprobriumque perfert;
Donec tremendo iudicio Dei
Hunc pœnitentem præteriti mali
Hoſteſque funeſtumque ludum
Vnica conuoluit ruina.

DE HVMANÆ MENTIS AVDACIA ET PROTERVIA.

Ex iudicum ſeculis.

Carmen Tricolon Tetraſtrophon.

VIdéſne quantis publica res malis
Turbetur olim dum populus fuit:

Metas relinquens impotenti ac
Diſſilit abripiturque curſu.
Dum poſſit ardens fingere regium
Faſtum ſuperbis gentibus æmulum,
Et nomen & ſceptrum ſeuerum,
Atque apicem Tyriamque veſtem.
Iam bella geſtit ducere præuiis
Signis & armis, enſeque principis,
Pompamque caſtrorum minaces
Per titulos cumulare gaudet.
Sic nam timendum, ſic putat arduis
Victorioſum ſe fore prœliis;
Sic capta promittit nec vno
Regna ſibi cohibenda fine.
Sed nec probandis regibus obſequi
Perdiſcit aſper, nec tamen improbis
Obſiſtit inuentis iniqui
Principis ac malè conſulentis.
Prauè imperatis relligionibus
Blanditur excors plebs, patrij Dei
Oblita, permutatque priſcum
Vſque nouis temerata cultum.
Inſanientes confouet impigra
Reges, nec æquis tam dominis fauet;
Et prona molitur, furenſque
Ipſa ſuas properat ruinas.
Mirum ne? pridem quàm proprij Dei
Blandè regentis tædia ceperant,
Cum ſimplicis nec ſumptuoſi
Imperij malè pœnitebat.
Prædicta regum incommoda quamlibet
Damnoſa rebuſque ac domibus forent,
Differre peruerſum nouandi
Non animum potuere vulgo.
Humana quantos, heu, ſapientia
Affert tumultus? quot mala comperit?
Nulla

Nulla eſt magis funeſta peſtis
Genti hominum, ſoboliq́ue Adami.

DE INANI GLORIÆ STVDIO ex antecedenti exemplo.

Carmen Tricolon Tetraſtrophon.

NIl non laborum improuida mens ſibi
Molitur vrgens dum refugit modum,
Et multa fumantes honores
Optat auens inhiatq́ue famæ.
Ille eſt beatus, qui populi improbis
Diſtat remotus iudiciis procul,
Nec nauigantem ſe procellæ
Credidit auſpiciiſq́ue vulgi.
Intentus alti ſideribus poli,
Nauimq́ue ſoluit, velaq́ue temperat,
Nec mergit alto aut æſtuoſo
Reptat agens pelago carinam.
Terram ſed vnde exoluerat adſpicit,
Longè nec audet littore cedere,
Portumq́ue contendit ſecundis
Flatibus, haud tumidis tenere
Hic præmonentis conſtituit Dei
Leges & almum conſilium ſequi,
Dexter ſiniſtérve haud abire,
Nec cupidè inſerüiſſe menti.

DE SAVLE OB AVDACIAM EXpulſo, deq́ue obedientiæ gratia.

Carmen Dicolõn Diſtrophon.

NOn tantum mihi (liberi
Contingant animi munia quamlibet)

Noſtri aut conſilij tamen
Humanæ aut ſuperet vis ſapientiæ.
Nec tanto ingenio fruar,
Vt quicquam ipſe meis ſenſibus annuam;
Non ſi relligio nouas
Fucata facie pingat imagines,
Admiſſas excipiam, niſi
Normas atque modos artificis Dei
Agnouiſſe fidelibus
Et firmaſſe priùs luminibus ſiet
Fas. Qui corrigere impius
Tentat facta Dei dictaque vertere,
Illum crediderim mali
Impulſum in furias verbere ſpiritus,
Iiſdem & potibus ebrium,
Queis iam prima hominum ſemina perdere
Expertus malus eſt Draco
Cùm letale iugum gentibus intulit:
Hoc ſemper metuam pius,
Hoc prudens caueam, ne malè diſpari
Coner iudicio alteram
Inſtruxiſſe viam, quam ſapiens poli
Rector non probet. VNICVM
DIVINO OBSEQVIO ſcilicet eſt iter,
Hoc ſentire monet graui
Exemplo domitus Cuſiades, nimis
Dum quondam properus cupit
Cæſarum pecudum ſanguine plurimo
Placare & patrium Deum,
Attentum & populum ſiſtere, & hoſtiis
Informare frequentibus,
Et longum eſſe putat iam reditum ſenis
Expectare Samuelis,
Geſtitque in cuneos irruere hoſtium.
Hic rurſum ſtudio improbo,
Quamuis vſque ſacris nominibus, parat

Extre-

Extremum exitium ſibi,
Et ſceptrum atque apicem & purpureum decus
Natis abdicat & domo,
Et quæ non meritis, munere at vnico
Largi contigerant Dei,
Is culpa, is proprio crimine prodidit,
Dum victor fouet impium &
Seruat, iuſſus enim cædere, Principem;
Delectoſque ouium greges
Aris atque ſacris deſtinat ignibus,
Clementique licentia
Impulſus penetrat per vetitum nefas.
Ergo non miſero inclyta
Membrorum ſpecies, altaque corporis
Moles, regius aut decor,
Non robúrve animi profuit, & ſciens
Pugnæ dextera, & omnibus
Explorata modis regia dignitas.
Tantum perdiderit boni
Qui ſe non facilem præbuerit Deo.

SIMPLICIS PIETATIS FELICITAS.

Dauidis exordia.

Carmen Tricolon Tetraſtrophon.

QValem nitentem frondibus arborem,
Quam cultor vdo margine fluminis
Plantauit electam feracis
De numero ſerieque oliuæ
Miratus olim ſurgere & annua
Ætatis vltra tempora creſcere,
Et ſtipitis præſtante trunco,
Atque comæ viridis decore.
Hanc laudat vmbras, hanc auibus domos
Præbere firmam, nec rabie nothi

Eurive cedentem; futuri &
Concipit hinc bona ſigna fructus.
Talem reductis ſaltibus Ephrathæ
Videre læti Ieſſiadem accolæ
Prima paternas in iuuenta
Paſcere oues vigilem bonumque.
Non ille quamuis exiguus, ſuis
Nec conferendus corpore fratribus,
Prudente cuiquam corde, certis
Conſiliis monitiſque ceſſit.
Illo nec vſquam viſere pulchrius
Vultu, decora contigit aut coma,
Præſentius nec comparandis
Artibus ingenium probatis.
Prudente ſenſu & colloquio grauem
Regi probabat, qui audierat priùs
Hunc voce miratus canentem
Atque lyræ fidibus peritum.
Nec ſegnis ille, robore nec minor,
Laudatur aptus prælia iungere
Vrſoſque ſtrauiſſe, & leonum
Horribiles ſoluiſſe malas.
Cælo probatum non ſpecie virum,
Sed corde purum, ſed fide candidum,
Pinguis perunctum rore oliui
Mente noua Deus imbuebat.
Matura poſt hæc roboris edidit
Exempla pugnax & ſapientiæ,
Felicibus miranda ſemper
Vſibus, & bene digna laude.
Teſtis Peleſſet prima laboribus
Cælo minatum dum Goliath videt
Immanè demiſſum ruina
Ampla ſoli ſpacia occupantem.
Tunc illa retrò turba tremens fugit,
Vaſto cadentis territa ab impetu,
Victor

Victor caput cùm ponderoſum
Et gladium iuuenis reportat.
Inſanientis terga ſuperbiæ
Conſtante virtus perdomuit fide,
Armata diuino ac timore,
Cætera, nil metuens, inermis.

AD DAVIDEM.

Carmen alterum Dicolon Tetraſtrophon.

ANnis à teneris Ieſſiade ô mihi
Sancte & culte diu, nunc ades, & ſeni
Carmen, quale ſoles fundere dum viros
Præſtanteis canis, annue.
Et conceſſa tibi numine prouido
Impertire volens munera iam tuo
Vati, multiplicem qui tibi, ſed breui
Laudem carmine dedicat.
Non tu nempe viris, non patribus minor,
Quorum grata piis nomina verſibus
Longo commemorans tempore viuere *Eccli.47*
Cantariq́ue bonus dabas.
Vt ſelectus adeps viſceribus ſacris
Aras dum liquitur gratior imbuit,
Optanti è ſolidis millibus Iſrael
Tu vati egregius places.
Quem mirata nouum prælia tum ducem
Victorem per agros currere proximos
Gazæ, perq́ue ſuos, regna per extera,
Felicem iuuenem vident
Iactatum variis vſque laboribus
Ingrati nimium principis & bono
Conuincti officio perdere contumax
Liuor frangere non valet.
Innixum ſtabilis te monitis Dei

Inſtructumque fide, nec valet extimæ
Gentis multa manus pellere de gradu
Nec vis fraúſve domeſtica.
Hærens vt niueo in vertice Libani
Cedrus non Zephyros, non rabiem Noti,
Non Euri calidum nec Boreæ trucem
Surgentis pauet impetum.
Ergo Iuda prior te colit, Iſrael, *Pſal Credidi propter.*
Regem poſterior ſuſcipit, vt boni
Vincant dicta Dei, cedat & irritum
Vulgi iudicium leuis.
Nulli certa magis dextera, ſeu feram
Chami progeniem pellere ab vrbibus
Tendis præcipuis, quas nimium diu
Seruant opprobrio patrum.
Concordem ſatrapum ſiue potentiam
Infeſtamque tuis finibus antea
Arces exiguo & ſiſtere viribus
Fractis iam ſpatio iubes.
An non ipſe feros impoſito iugo
Vrges Armenios imperio ac domas?
Et pacem agricolis vndique & otium
Leuitûm gregibus creas?
His vt cura breuis ritibus annuis
Ac templi aſſiduis muneribus vacet,
Illis cultior vt terra benigniùs
Fruges & pecudes ferat.
Vnde & pinguis eat taurus, eat caper,
Candentique aries vellere, vt expiet
Certis quæque cadens ordinibus ſcelus
Aram victima & impleat.
Et feſta vberibus gaudeat innocens
Ruris turba libens fructibus, at prior
Flamen ſepoſitas primitias ferat,
Nec pauper metuat famem.
Nullus ſe inſidias cernere cautior,

Arma-

Armatáſue acies fortior hoſtium
Strauiſſe, exuperas cætera, ſed magis
Laudaris patientia.
Namque hæc te incolumem per ſoceri improbos
Prudentemq́ue dolos currere perdocet,
Hæc per nata domi bella, per impij
Nati infeſta pericula.
Victorem vſque tui te quoque dicerem,
Rara quæ eſt hominum ſummaq́ue gloria,
Menti ſi cupidæ fræna reponeres,
Queis iram atque animum regis.
Aſt iniuſta mali facta cupidinis
Exemplo monitus ſupplice corrigis,
Cenſuram & pateris, teq́ue reum malæ
Culpæ ac multiplicis notas.
Ardentes humili ſic animo minas,
Decreta, & minuis verbera iudicis,
Sic te ſupplicio præripis è graui,
Atque artem experiens doces.
Artem, qua reprobæ pœniteat viæ
Lapſum, qua redeat mentibus anxiis
Spes turbata malis criminibus; Fides
Firmum qua teneat gradum.
Te quis ſacra modus, quis deceat nitor
Curantem vberibus tradere ſumptibus;
Delectat proprium regibus illicet
Et cano ſtudium duci.
Te tandem ſenio læta quietius
Ac ſuprema iubet ducere tempora,
Æternum ſolium ſanguinis ac tui
Promiſſum imperium polo.

AD

AD SALOMONEM.

Carmen Dicolon Tetraſtrophon Sapphicum.

Sapientiæ vtilitas in omnem vitæ partem.

TE tuo dignum Salomo parenti
Proximum noſtris memores feremus
Verſibus: non quas lyra veſtra laudes
Edidit olim;
Quos cauæ valles Solymûm ſacrique
Montium tractus, liquidè ac fluentis
Vnda Iordanis retulere grata i-
magine cantus;
Noſtra ſed qualeis leuiore plectro
Barbitos nouit tenuare voces,
Dum leues curas & amica fraudis
Otia vitat.
Te Deus primum puerum probabat
Prouidè optantem populis regendis
Spiritum veræ ſapientiæque, &
Commoda dona.
Ergo nil vidit ſimile aut ſecundum
Inter humanos ſobolemque Sethi,
Quoſque mortali patre quoſque Tellus
Matre crearit.
Te nouæ litis reperire promptum
Iura mirantur populi, pauentque
Callidum & ſancti properare muros
Tectaque templi.
Creſcit & cunctas penetrat per oras
Quæ propè & quæ vel procul incoluntur,
Fama conſtare exiguo ſtupendam
Tempore molem:
Regiæ fauſtum domus, ac miniſtros
Ciuibus magnis poſitoſque paruis;

Pacis

Pacis ac belli mediis locatum
Præſidium armis.
Cedit argenti tibi, cedit auri
Quanta vis nulli fuit aut priorum,
Aut erit, regum ſeriem ſecuta
Quos dabit ætas.
Vnus vt princeps teneat tyrannos
Anxios duræ dubioſque pugnæ;
Pace opes idem patet innocenteis,
Diuitiaſque.
Quinquies mille an taceam canentem
Carmina æternum celebraſſe numen?
Cuius hæc mirum ſpecimen laboris
Secula monſtrant.
Quin & authorem ſolidique veri &
Artis optandum veteris magiſtrum,
Scripta confirmant tua te diſerta &
Pulchra docentem.
Barbaras poſtquam ſapiens relinquis
Feminas, quarum malè feriatis
Ceſſeras votis facilis, te & ipſum
Prodideras iam.
Exulem & prauo vitio vagantem
Rurſus accerſis reuocaſque mentem:
Corrigit ſtultæ melior Senectus
Damna iuuentæ.
Ne quis exemplum ſimile experiri
Florides auſit moneo per annos:
Sæpè in errore, heu, medio occupauit
Atra diem nox.

IN ROBOHAMVM SALOMONIS diſſimilem filium.

Carmen Dicolon Diſtrophon.

NOn ætas, neque regia
Olim ducta bonis progenies auis,
Nec ſi quid valeat nepos
Non iactare ſuum, perpetuis diu
Illuſtraréve honoribus,
Vel ſeruare poteſt incolumem domum.
Non vis magna ſuperbiæ,
Expers conſilij nec iuuenum manus
Hæredem ſtabili dabit
Regno ferre patrum ſceptra potentium.
Nam magni arbitrium Dei
Celſo ſæpè apicem vertice ſuſtulit,
Quem quandoque bidentium
Cuſtodis pueri tranſtulit in caput;
Idemque imperij decus
Partitus famulo ſcit dare transfugæ.
En terræ, maris, ac poli
Qui vnus iura bonus frænaque temperat,
Clementiſque modeſtiæ
Integræque fidem iuſtitiæ fouet,
Aſtrorum numero parem
Biſſenis ſobolem fratribus editam
Quondam Ieſſiades vagam
Diuiſamque poteſt cogere in ordinem,
Et certo regit innocens
Clauo, non grauis eſt ille minoribus,
Non maioribus arduus,
Fidis vſque pius, lenior æmulis.
Quamuis non melior ſacra
Quiſquam bella gerat, nemo potentiùs
Hoſtem finibus arceat,
Nec ſi propoſitum tendere limitem

Vicinam

Vicinam capere aut paret,
    Nullus conſilium dexterior magis
Certos ducit in exitus,
    Æternumq́ue ſuis conciliat decus.
Hunc qui proximus excipit
    Hætes magnificam ponere regiam
Informare colentibus
    Et vrbes & agros commodus audiit.
Illum Fama per Heſperum
    Ac ortum volitans, per Boreæ inuios
Tractus, & calidas Noti
    Oras, multiſona fert celebrem tuba;
Cuncta in tempora prouidum
    Hoſtes quem metuant, quemq́ue & ament ſui
Illuſtri ſapientia
    Vincentem facilè primaq́ue ſecula &
Olim ſecula poſtera:
    Et qui regna bonis iudiciis beet
Quæ turrita Tyrus videt,
    Quæ Iordanis aquis nobilibus lauat.
Aſt quæ parta laboribus
    Multis ponit auus firmat & artibus,
Quod prudens Salomon patris
    Conſeruat ſolidans imperium, integris
Sanctum & legibus exhibet,
    Hoc amens Roboam diſſipat impio
Præceps conſilio malis
    Tentatumq́ue modis corruere ingemit,
Certis recta monentium
    Dum parere negat conſiliis patrum.
Ac mox dura minax leui
    Senſu idem populis æqua petentibus
Seſe difficilem & metu
    Præſtare horribilem quàm colier cupit.
Tantum ſtultitiæ comes
    Conturbare valet cæca proteruitas.

DE

DE HVMANÆ ASTVTIÆ INſania in Iirbaghamum.

Carmen Dicolon Tetraſtrophon.

AN non ſat ſtabilis conſilium Dei
Nempe & larga manus ponere principem:
Nullis te emeritis antè laboribus
Iirbaghame beauerat?
Nuper quem Phariis mœnibus exulem
Deductum ſolio collocat, ac decem
Te regni Iſacidum partibus inſtruit
Bello ac vindice liberum?
An quiſquam incolumi te potuit Deo
Deturbare ſacra ſede vel abditis
Oppreſſum inſidiis fallere, dum bonis
Mentem contineas modis?
Fraus plerunque comes cæca potentiæ
Securum imperium perpetuò fore
Perſuadet, patrium ſi ſemel extimis
Numen finibus arceas.
Ergo vana malus nomina conſecras,
Queis te, queis proceres ac populum leuem
Illuſumque nouis muneribus capis,
Et ſermonibus inficis.
Auro fuſa bouis cornua nil pudet
Te ſanctos patrioſque Abramidum Deos
Confirmare, mali non tamen inſcium
Quod priſci tulerant patres.
Dum(cunctante Arabum in montibus optimo
Ductore, atque Dei principis vnicè
Digno colloquiis) improba ferias
Plebes letiferas agit?
Mutatúmne Dei conſilium putas,
Oblitum aut veteris criminis, ac tuo
Ceſſurum ingenio cætera, cùm ſemel
Clauum ſceptraque contulit?

At

At quas ipſe tulit, certè adamantinis
Exquirit repetens legibus omnia,
Et quæ vana videt, conſona quæ minùs,
Vento ac turbine diſſipat.
Heu quantum iuuenum ſtultitia impudens
Perturbare valet, publica vbi ſuis
Permiſcens temerat commoda ſenſibus,
Indulgetque libidini!
Aſt humana tamen nil Sapientia
Plus præſtare poteſt, efficere a t boni
Cum ſeſe ipſa ſuo lege procul Dei
Augere arbitrio parat.
Summas diuitias ac decus imperI
Quæ pulchris Salomon condidit artibus,
Hæres inſipiens perdidit, & nimis
Cautus perdidit æmulus.

CVRA DEI DE ERRANTIVM reuocatione.

Carmen Tricolon Tetraſtrophon.

LAudatis alti conſilij potens,
Incomparanda qui ſapientia
Telluris & cæli mariſque
Vnus opus facis & gubernas;
Non vllus eſt cui conſimilis Deus,
Nemo ſecundus, condere ſeu velis
Non antè cuiquam viſa mundo ex-
ordia, ſeu poſuiſſe finem.
Doctus, valens &, quæ fuerant nihil
Virtute Verbi ſemina promere
Fœcunda, & exaugenda in annos,
Quotquot agat renouetque tempus.
Nil non volenti ſubſtiterit tibi,
Nil aut volenti poſſe negabitur,

L Cuius

Cuius nec extat ſixa meta
Viribus, ingenio ac ſupremo.
Fas cum ſacratis credere vatibus
Hunc, vt benignus dicitur, omnia
Quæcunque commendatus audit
Nomina muneribus præire.
Nam quæ paterni viſcera pectoris
Curare tantum vel proprios valent
Natos, genus mortale quantum
Ille fouet ſobolemque Hhauæ? i.Euæ.
Cui ſe colenteis non ſatis eſt viros
Seruare tutos, ſubque ſalubribus
Securitatis ſemper alis
Præſidio intrepidos fouere,
Ni quos & error mentis, & improbi
Moris maligna exempla trahunt bono
De calle deductos, miſertus
Aſſiduis operis reponat.
Quis longioris non patientiæ
Miretur annos, quòd bonus improbum,
Dum neminem vult interire,
Aſſiduus reuocator ambit?
Teſtes mearum multiplices viri
Sententiarum, quos grege de ſacro
Vatum creatos magna quondam
Ferre iubes operum pericla.
Nec dum nitentes nocti aperit poli
Aurora portas fulgida, vt incitas
Iam deſtinatas in diurnos
Ecce animas operum labores.
Videre nullos improba ſecula
His comparandos, ſiue fidem velis
Præſtare, virtutémve, rebus
Seu ſtudium iubeas agendis.
Quos non minacis dira tyrannidis
Vis pellit vrgens conſilio graui:

Non ſtulta ridentis populi
Vox mouet, officióve turbat.
Certos famemq́ue & vincula perpeti
Sęuaſq́ue flammas, & gladio innocens
Præbere collum, at non ſeuero
Propoſito oppoſuiſſe mortem.

IN SAMVELEM VATEM.

SAncte & vſque piis orte parentibus,
Atque alui nimium iam ſterilis diu
Dulces primitiæ te Samuel virum
Te magnum à puero cano.
Tentent ne gracilis tædia carminis
Incultæq́ue pius neu ſonitus lyræ
Ingrati populi quem neque turbidus
Rumor nec ſtrepitus mouet.
Iam primùm Iſacidæ quippe ruentibus
Tectis te columen conſtituit memor.
Antiquiq́ue tenax propoſiti Deus,
Qui ſpem, quiq́ue & opem feras.
Nemo iudiciis te magis integer,
Tutandíſve magis rebus idoneus,
Siue in caſtra pares impetere hoſtium.
Et genti iuga ſoluere.
Cognouere grauem iam Tyrij duces,
Victoremq́ue ferox turba Peleſſidum,
Cui cæli faueant, cuiq́ue ſonent tubis
Alto ex æthere ſpiritus.
Nam quis te melior quis magis innocens
Fas & iura tuis dicere ciuibus,
Quíſue agna atque piis vocibus in bonas
Inuitare preces Deum?
Totis ipſe patrem te decies quater
Annis iura ſibi viderat Iſrael
Diſtantem propriis ſumptibus illicet
Vſum, nulli hominum grauem.

Primus cara diu optataque gentibus
Verax dicta Dei & conſilia excipis,
Hæc & crebra refers certaque ab vnguibus
Vates penè prioribus.
Optatos populo (nil tamen inuidens)
Reges dante tibi numine præficis,
Idem depoſitum pro meritis malis
Regem non timidè abdicas.
Quin & poſt cineres viuis, & improbum
Damnas excidio vindice principem:
Nam ſi vita prior defuit, haud tibi
Sermo ac certa deeſt fides.

DE NATHANI VATIS OPPORTVna libertate, ad Petrum Veleium.

Carmen Dicolon Diſtrophon.

QVæris plurima cur mala
Inſtent nunc miſeris gentibus, hinc fames
Inteſtinaque ciuium
Bella ac diſſidia, atque hinc mare nauibus
Noſtris protinus inuidum
Externis placidum, & mille pericula
Eurique & Boreæ trucis
Infeſtique Noti, qui & pelago horridam
Procellam aſſidui parant;
Iidem legitimis imbribus aridos
Fraudando perimunt agros,
Et fruges hominum non ſoboli modò,
Verùm gramina (væ!) macris
Armentis pecorumque & gregibus negant.
Tellurem ætheraque & polum &
Ponti progeniem flumina & inferæ
Sedis tartareas domos
In noſtri exitium iam proprias putas.

Leges

Leges primaque fœdera
    Mutare atque alios vertere in ordines,
Nullo denique ſeculo
    Æquanda aſſiduis antè laboribus
His exempla ratus, paues
    Quanquam antiqua memor tempora colligis
Petre ô nobilium decus
    Vellei, atque animæ pars potior meæ.
Non fruſtra dubitas graueis
    Caſus: namque citam perniciem impiis
Liber fallere neſcius
    Prædixit ſcelerum ni bene pœnitet.
Natiuo premimur dolo,
    Auerſoque Dei numine viuimus,
Dum noſtrum colimus malè
    Fundum; incompoſiti & prædia pectoris,
Duris creſcere ſentibus
    Ignaui patimur, prauaque ſemina &
Infelix lolium bonis
    Impunè aſpicimus frugibus additum.
Nam quando vlterius ferum
    Regnum conſtituit praua cupiditas,
Aut quo tempore plenius,
    Fraudem & perfidiam furtaque callida
Mortaleis docuit nouis
    Commentata modis protegere imperI ac
Iuris nomine tutius,
    Et vallare truci gente ſatellitum;
Imo priſca iacet ſolo
    Quondam Simplicitas; candida Veritas,
Noſtris iam populis abeſt,
    Atque ardens proprij ac neſcia commodi
Cælo nata Benignitas,
    Nullum ſueta ſui pellere ab vſibus,
His è finibus exulat,
    Ingratiſque hominum ſedibus it procul;

Quas otî comes improbæ &
Proles deſidiæ Luxuria occupat,
Immuniſque ſuperſtitio,
Audax ingenio imponere creduli
Vulgi, deterere ac opes,
Mendoſoq́ue oculos ludere faſcino.
Nunquam iniuria ſæuius
Graſſata in tenues, legibus illicet
Supremæq́ue potentiæ
Et faſce & bifidis ſepta ſecuribus.
Quidquid Dux populum velit
Iuſſiſſe aut operis, muneris aut, licet,
Plaudunt vocibus huic lupi &
Coruorum atque auium turba rapacium,
Atque vncis eadem vnguibus
Prædæ haud exiguam particulam capit,
Maioreſque minoribus
Cauſas atque viam exemplaq́ue conferunt
Lædendi innumeris dolis,
Artem quiſque ſuam cogat vt improbæ
Inſeruire cupidini,
Nec quantum ſit opus, ſed pretium æſtimet.
Si mendacia turpia
Proſint vel leuiter, prodere nil pudet:
Fingendiq́ue peritior
Et laudem & meritum & præmia præripit.
Solo nomine differunt
Nunc Fas atque Nefas, cætera moribus
Conturbata ſimul fluunt:
Diuulſum penitus de proprio loco
Ius fruſtra omne requiritur,
Virtutiſque comes delitet Æquitas.
Non eſt qui medicas manus
Huic peſti admoueat, damnaq́ue ſeculi
Ardenti ſtudio citus
Compeſcat monitu vocéve libera,

Qua-

Qualem veridico edidit
 Nathan ore, bonus carpere regium
Pectus magnificum & caput,
 Celsi ſolium criminis & reum.
Illi publica non ſatis
 Accuſare fuit crimina, at intimi
Occultata mali diu in
 Regis viſceribus vlcera adurere
Et mens & animus dedit,
 Et quemquam haud metuens obſequium Dei
Docto parcere nemini,
 Curare aut proprij damna periculi:
Aſt dum certa fidelibus
 Fomenta officiis ſedulus adferat,
Non horrere minacium
 Inſanum ſtomachum aut robora principum,
Quos non tam vitio ſuo
 Quàm deſiderio dixero liberi ac
Fortis conſilij improbè
 Et ſeſe & populum præcipites dare.

ELIÆ VATIS AVTHORITAS & ſedulitas.

Carmen Dicolon Diſtrophon.

NEc modò conſilijs monitu ſermoneque fido
 Vatum pollicitiſque minisque,
Funeſto mentes hominum turpique veterno
 Torpenteis arcere paraſſe
Diceris, ô Pater, ô princeps, ô magne magiſter,
 Noſtræ dux authorque ſalutis;
Sed quibus eſſet opus, cunctas niſi moueris arteis,
 Atque operas impenderis omneis,
Cenſuram ſponte ipſe ſubis, paterisque notari,
 Terrarum cenſorque poliquе.

Vnus pro multis (vatum niſi plena fuiſſent
Caſtra olim cuneique frequenteis)
Sufficeret natus Thesba defendere iuſtas
Nempe tuas, & vincere, parteis;
Eliahus fortiſque animi patienſque laborum,
Membra aſper vultuque ſeuerus,
Contemptor leti, & cunctis tua iuſſa periclis
Anteferens, mirandaque promptus
Edere prodigia, accenſoque potentior igni
Tellurem ſiccare negatis
Imbribus, atque famem populis gregibuſque parare,
Pòſt imbres reuocare benignos;
Seu pueri inſtaurare animam, diffringere & orci
Clauſtra velit, natumque parenti
Reddere iam raptum, letique exoluere vinclis,
Hoſpitis officiumque benigni
Explere, atque leuem impenſam tectique cibique
Annonamque rependere certam.
Ille nihil reges veritus, furiáſve profanæ
Reginæ nimiumque fauentis
Sacrificûm gregibus crebris, quos multa ſuperbos
Et magnatum & gratia vulgi
Fecerat, ingenio & vario ſtudiiſque valentes
Otia longa dapiſque alienæ
Copia præſtiterant populum deludere falſis
Numinibus rituque ſacrorum,
Teſtatura Deum patrium, fidumque miniſtrum
Is ter puro incendia cælo
Deuocat, vltricem is flammam, qua regius ardet
Stipator, geminuſque ſatelles,
Qua & populo plaudente omni linguiſque fauente
Veri victima Numinis ardet.
Ardent ligna bouiſque artus, ſimul ipſa liqueſcunt
E viuo altaria ſaxo,
Et vice mutata ſtagnanteis corripit vndas
Flamma vorax, viſuque ſtupendo

Signa

Signa Dei manifeſta facit, falſumque Deorum
Arguit inuentum cultuſque moleſtos.
Quid memorem cõſcenſa viro dein culmina mõtis
Quo iam ſancta volumina Moſes
Legifero dictante Deo deſcripſit amandi
Vſque boni referentia ſummam,
Et feriem atque modos vitæ & præcepta beatæ,
Gentem quæ ediſcere iuſſit.
Hîc ſuperum arcanis admiſſus quæque fuere
Ac diſcit quæ ſunt quæque parantur,
Et quæ ſe cælum ſtatuat peragenda miniſtro.
Iuſſus item deponere celſo
De ſolio reges, & ſuffeciſſe nouos, ac
Tunc deductum vomere ab vnco
Vatem diuina mente renouare futurum &
Sacro olei perfundere rore,
Pluraque perdoctus quæ poſtera ſecula magnâ
Admirentur digna ſilenti.
Sed finem ſtupefacta nouum mens dicere tentat,
Luce tamen præſtringitur arctum
Ingenium, nec vox ſequitur, nec lingua volentem
Ardentes deſcribere currus,
Qualibus atque iugis idem ſublatus equorum
Siue poli conſcenderit altas
Arceis, ſeu ſedes priſcas, hortoſque remotos,
Et culpa vitioque parentum
Amiſſa, heu, generi noſtro felicia regna
Fluminibus ſaturata quaternis,
Vnde viri expectent operam noua tempora, quãdo
Adueniat Dux ille, ſuperna
Qui virtute valet meliorem ponere mundum,
Et mortalia corda malignis.
Libera iam curis promiſſo inducere cælo:
Namque hunc Elias ipſe præibit,
Aut alter mente & ſtudio ac virtutibus huius
Qui peragat parteſque viceſque.

ELISÆI LIBERTAS ET FORTITVDO.

Carmen Tricolon Tetraſtrophon.

NAm quò paternis hic bobus impiger
Sulco relictis in medio fugit?
Quò vel repentinum furore
Nunc animum ſtimulante currit?
Biſſena lectis cum ſociis iuga
Vnco premebat vomere, præditus
Exercitandis concolonus
Ipſe operis famuliſque ductor.
Tantum tepores vmbraque pallij
Mutare poſſunt, adueniens modò
Magnus quod huic quando Propheta
Iniiceret, tacitus præibat?
Sic eſt; superni feruida ſpiritus
Vis efficaci corripit impetu
Quem ſubrogari vult miniſtrum
Muneris officiique vates.
Non hunc agrorum, aut cura peculij,
Non multa frugum ſpes retinet, nihil
Terrena cuncta iam morantur
Celſa animo ſtudiiſque agentem.
Ergo reuerſus de patris oſculo ac
Matris (valere hos nam pietas iubet)
Permittit integrum vocanti
Ipſe Deo ac ſua ſeque tradit.
Præbent aratrum, plauſtra, iugum ſacri
Munus paranti materiem foci,
Functos labore atque ipſe tauros
Ritè facitque, epulumque adornat.
Teſtem magiſter quem legit igneis
Sublatus alta ad ſidera curribus,
Cùm flumen audiuit iubenti
Diſcipulo, tremuitque veſtem.

Hinc & verendum certa fides virum
Et diligendum principibus tulit,
Incommoda nunc, nunc ſalubri
Voce alios, alioſque adortum.
Deſideratas væ ſitientibus
Abſque imbre lymphas proſpicit, eminus
Queis euocatum ludit hoſtem,
Funditus ac iubet interire.
Natura formas, principia, & modos
Mirata rerum creditur omnium,
Quas hic Sephathi natus olim
Non ſolitos dabat ire in vſus.
Viles liquores cui pretium merent
Crebros vt implet pingue oleum cados,
Quo nomina exoluit mariti,
Atque domum bene paſcit vxor.
Vrbi fragranti germine balſami, &
Ratis trahenti nomen odoribus, *Iericho*
Sermone curator ſaleque
Præſtat aquas fluere innocenteis.
Tum triſtiorem felle cucurbitam
In iura vertit dulcia protinus,
Et vatibus præbet probandas
Olla epulas meditata letum.
Ferri innatantis pondera dum ſtupet,
Gaudet, modo qui perdiderat comes:
Ac turba diſcedit benignè
Exiguo ſaturata farre.
Lætatur hoſpes iam nimium diu
Prolem negatam munere commodi,
Gratique contigiſſe vatis
Hoſpitij meritum fidelis.
Mox docta mater credere, filium
Lugere ademptum continet, ac pio
Sermone depoſcens requirit
Et recipit bene reſtitutum.

Sancto

Sancto expiati flumine principis
    Quæ membra nuper ſordida venerant,
    Solum Deorum ritè verum
    Quem Solymos celebrat, fatentur.
Agnoſcit hoſtis conſilia irrita
    Vímque impotentem euadere, vbi Deus
    Vate indicante occulta certum
    Præſidium impoſuit benignus.
Stulto paratas inſidias hero
    Narrat timorem & triſtitiam puer,
    Idémque præſtrictos ſecuto ſe
    Hoſti oculos puer expaueſcit.
Captam cateruam lenior excipit
    Conuiua, teſtémque eſſe parat ſuæ
    Virtutis, humaníque clemens
    Officij, intrepidǽque mentis.
Idémque gentes qui docet exteras
    Sit vatibus quàm culta modeſtia,
    Deſideratæ diſciplinæ
    Perſequitur repetítque pœnas,
Dum negligentum culpa grauis patrum
    Prauè educatos vindicibus gemit
    Natos ab vrſis interemptos
    Oſſa legens laceros & artus.
Idem profano prouidus aulico
    Fauſtum neganti pollicitum Dei
    Vidiſſe firmatum, ſuóque
    Interitu dedit experiri.
Iniuriarum ac multiplicis doli,
    Queis aula flagrat regia, ſedulò
    Delectus ac dicatus vltor
    Huius init peragítque iuſſa.
Poſt deſtinatos exitio Syros
    Regem timentem prædocet inſtruens
    Quo more directis ſagittis
    Conficiat penituſque perdat.

Plebi

Plebi dolenti ac regibus vnicè
    Tutum, iacet dum, præſidium audiit,
    Nec morte ſoluente efficacis
    Muneris officium remittit.
Tangentis vt ſe membra cadaueris
    Virtute ſancti ſurgere corporis
    Dulceis redire & vitæ ad auras
    Vmbra pij facit Eliſæi.

DE IESAIÆ VATIS ORNAMENTO, doctrina, & actionibus.

Carmen Sapphicum Adonicum.

TVrbidum gaudens trepidat recenti
Mens metu, nec iam valet inquietum
Pectus internos cohibere motus,
    Membraque languent.
Nuntius nondum reſerat diei
Lucifer clauſtra, & crepuere ſummi
Cardines cæli, patuitque eoæ
    Porta feneſtræ.
Qua pater mundi ſuperumque rector
Protulit canum caput, ac tonante
Voce conſcriptas operas probanda ad
    Munia mittit.
Pulſaque inſueti ſonitus fragore
Templa concuſſo tremuere fundo, ac
Denſior globis penetrat ſacratam
    Fumus in ædem.
Præbuit ſe tum facilem vocanti
Natus Amoſo, tamen vſque ſanctum
Horruit viſum, proprij ac pudoris
    Conſcius hæſit.
Auribus tandem & labiis Miniſtri
Ritè purgatis manu & efficace

Igne,

Igne, virtutes animo atque diua
Robora ducit.
Hinc pios præſens animare reges,
Improbis idem populis minari ac
Regibus Vates monitus magiſtro
Numine diſcit.
Paruit cuius radiante dictis
Sol nitens curru, mediumq́ue lucis
Conſtitit certo renouare iuſſus
Limite curſum.
Iamq́ue metato moribundus æuo
Victus & morbo ſuperante Princeps
Quinquies ternos ſibi gaudet aucti
Temporis annos.
Hoſtis infeſti Solymos prementis
Irritos cantat fore iam furores,
Euenit quidquid monet ac fideli
Voce profatur.
Impetu ſæuus ferüente vt olim
Ventus & terram & pelagus perurget,
Quaſq́ue alit cedros Libanus niuali in
Vertice, frangit,
Moxq́ue de cæli regione ductis
Imbribus campos rigat, & creandas
Implet ad fruges, variiſq́ue adornat
Frondibus agros.
Non ſecus proles generoſa Iudæ
Cui ſalus nomen facit impiorum in
Principes feruens vehitur, ſuæq́ue in
Crimina gentis,
Prouidus noxæ ſcelerumq́ue culpas
Scindit ac dicto inſequitur ſeuero,
Nec mala vrente tetigiſſe ceſſat
Vlcera ferro.
Damna ſed poſthac ſua ſentienteis
Morbi & hærentis penitus medullis

Ritè

Ritè pertæſos animos, ſalutis
Edocet almum.
Tempus, ac dandam generi piorum
Vnico æterni miſerantis vltro
Numinis facta in ſua pertinacis
Munere VITAM.
Quo nihil dicis ſimile aut ſecundum
Poſſe mortaleis agitare ſenſus,
Quippe quæ ſola efficiant beatos
Dona Deoſque.

HIEREMIÆ VATIS ASSIDVITAS exercitatio & aſſertio.

Carmen Tricolon Tetraſtrophon.

TAm multa quondam (proh dolor ac pudor?)
Videre prauos ſecula principes,
Atque vnà trahenteis ſecutum
Se populum in celeres ruinas.
Vnum modeſti Ieſſiadem imperI
Exemplar auferam, auferam & alterum
Huic Ezechiam, nec Ioſiæ
Partibus inuideámve laudi.
Semper probandi muneris his tribus
Curæque ſanctæ pondus, & integram
Mentem, & pietatis ſuperſtes
Fama bonum decus adrogabit.
Sed cæterorum plæraque regio
Indigna dicas pectora nomine,
Partímque cenſebis benigno
Iudicio ac pariter notabis.
Hos nunc timenteis rectaque ſedulos
Tractare, eoſdem præcipiti gradu
Nunc deſerenteis iura ſummi
Numinis ingenuum ac timorem:

Illos

Illos recepti à principio feros
Regni, pudoris linquere terminum
Nouiſſe nolentes quid inter
Sanctum adeò cadat & profanum.
Atqui nec illis temporibus viri
Qui fas tenerent iuraque qui nefas
Nec defuerunt qui ſeuero
Conſilio ac monitis iuuarent.
Nam plena conſtant recta monentium
Vatum frequenti collegia ordine,
Queis fortiter munus peractum
Cum populis proceres fatentur.
Quid non ſacrato è ſanguine Iirmias
Ortus probauit munereque & fide!
Quid non ab infenſis tyrannis
Pertulit ac variante vulgo?
Qui tunc ab aluo matris & vbere
Tantis dicatus prodit honoribus,
Virtute qui ornatus in ipſam
Creuerat & ſapiens iuuentam
Non alter illo viuida promptior
Magni tonantis iuſſa faceſſere,
Aut creditum portare pondus
Ingenio patientiore;
Præſens vel ima à ſtirpe reuellere
Prauis notandam fructibus arborem,
Rurſuſque delectas beatis
Germinibus renouare plantas:
Structamque ſummis ſumptibus ac diu
Molem paratam quamlibet arduam
Hic efficacis vi repentè
Diruit exoluitque verbi.
Atque vnus idem mœnia ſi velit
Pulchris decora ac firma reponere
Saxis, potenti voce ductum
Surget opus, nebulaſque vincet.

Non

Non rupes alto, non ſcopulus mari
Fluctus frequenteis temnere firmior,
Euri mage aut immota crebros
Æſculus exuperat furores,
Quàm mille durans vſque laboribus
Exercitatus vincere Iirmias
Confundit inſtanteis tyrannos,
Et populi maledicta frangit.
Verax gemendum turpibus æmulis
Certum doloſi prædicat exitum
Sermonis aſtu blandientis
Diuitibus ſtolidóque vulgo.
Conſtans benigni pollicitum Dei,
Magnæ & ſalutis facta parentibus
Promiſſa, cæleſtiſque regni
Præmia, ſpemque docet fidemque.
Damnanda morum corrigit integer
Exempla, viuis legibus adnotans
Quid numen offendat, quid vltro
Molliat ac referat benignum.
Addit profanis feruidus aulicis
Regumque ſceptris & ſolio minas,
Regnique prædicit propinquum
Excidium & iuga dura ab hoſte.
Senſit catenas non bene credulus
Rex præmonentis commoda vocibus,
Hinc cuncta demum ſacra & vrbem
Vrit edens inimica flamma.
Quem nunc tyranni & plebs leuis optima
Suadentem iniquis expulerant modis,
Hunc inter hoſtes mox videbant
Siſtere principibus priorem.
Nam præſtat altum conſilium Deus,
Vatumque honores prouidus aſſerit,
Et promerentum re ſalubrem
Letiferum calicémve miſcet.

EZECHIELIS CELSA VAGATIO.

Ad Franciſcum Sanctium medicum phyſicum.

Carmen Dicolon Diſtrophon.

NOn maris ac terræ gremium, nẽ æthere in alto
Quas horas leuis aura viceſque
Sufficit, & variat. non quos penetralibus imis
Diluit obduratque liquores
Tellus, non quidquid plantarum procreat alma
Te Sancti Franciſce latebit,
Doctum & felicem languentia corpora morbis
Atque metu depellere leti.
Sunt quibus aſſiduus labor eſt & commoda cura
Diuinis myſteria chartis
Dictaque Ieſſiadæ paſtori carmina quondam
Quadruplici diſtinguere ſenſu,
Vnde pius diſcat vitam componere lector,
Atque animum recreare docendo.
Et nobis Pater omnipotens donare benignè eſt
Dignatus remque aptaque verba:
Exiguo vt Chriſti populo valeamus amanda
Antiquorum ſenſa librorum
Edere, quòd poſſit gregibus prodeſſe puſillis,
Exilij quos tædia noſtri
Iuſtitiæque tenet ſitis irrequieta fameſque,
Quoſque cupit mens noſtra iuuare.
At non Buziadis miranda volumina ſemper
Atque mihi venerata legenti
Euoluiſſe datum cuivis, vel tangere cuivis
Nedum auſu temerare profano.
Plura aliis ferat ille licet communia vatum
Reſponſis repetitaque eodem
Et ſenſu & ſtudio. capiens quæque audiat ipſe
Iſrael, haud poſſitque negare.

Muta-

Multiplici legata ſibi ac ſermone frequenti
Seu turpeis reprehendere mores,
Seu paret iniuſtos Solymûm compeſcere ciueis,
Prodigio ac terrere minaci.
Correptamque Deus curet cum principe plebem, &
Mendaces turbare magiſtros,
Cætera quæque alus alto dictata miniſtris
Credimus è cæloque relata.
Prouidet hic etiam terrarum verſa per orbem
Imperia, & Babylonis iniquæ
Tempora, & in ditem mutatum Perſida regnum,
Ægyptique Pharique ruinam.
Concinit ille Tyrum tautuque opibuſq; ſuperbam
Vt geminatus diſſipet hoſtis;
Vtque paret populis iniuria publica iuſtum
Iudicium à Rectore ſupremo,
Cui renes, cui corda hominum, cæcæque latebræ
Pectoribus referantur apertis,
Numinis ingenium docet idem parcere clemens
Iiſque bonum, quibus & ſua damna
Diſpliceant, placeatque anguſtæ ſemita vitæ,
Et calles vitentur iniqui.
Admonet Iſraelem ſcelerum, reuocatque ſecundis
Conſiliis, melioraque ſuadens,
Promiſſam patribus ſtudio veh mente ſalutem
Commendat, rurſuſque nouandum
Humano generi mundum diuerſaque noſtris
Vſibus æterna & bona cantat
Cætera, quæ veteres Adami impellere ſenſus
Spemque valent ſuadere fidemque.
Ille canit, dictiſque animos percellere tentat
Sedulus officiumque perurget.
Sed mihi non animi tantum Natura nec ars dat
Méníve nimis temeraria ſumit,
Vt ſacra quadriiugi imprudens myſteria currus
Diſquiram ſoluámve ligémve.

Nam quis vel ſolium vel puluinaria ſummi
Numinis inſpiciat referatque?
Quíſque oculis penetret lucem mortalibus illam
Quam ſubter ſubit atra caligo?
Felix mente adeò noſtriſque remotior vſque
A curis, quemcunque ſupernis
Spiritus arcanis admiſſum euexit, & altè
Sublatum ſuper æthera iuſſit,
Non credenda leui vulgo nec viribus apta
Humanis meditanda videre.
Qualia ſint cæli monumenta, & qualia ſedis
Diuinæ iuga bina rotarum,
Æternæque domus templum, quod cætera damnat
Quæ terris ſint condita duto
Aſſere vel ſaxo, aut tenui velata hyacintho,
Et lino laniſque caprinis.
Illa priùs dictata ſuis quàm facta magiſtris
Ritibus humaniſque dicata.
Hoc verò vnius digitis ac mente benigni &
Arte Dei conſtare peractum
Credat opus, mecum qui ſentiet, & bene notum
Iis tantùm queis limen adire
Munere conceſſum diuini authoris, & eſſe
Partem aliquam ſoliique domuſque.

DVODECIM VATVM argumenta.

Longa non tantum ſpatij dies, nec
Spiritus tantum dabit vſque vocis;
Si choros vatum cupiam ſequaci
Dicere verſu.
Quos dabat cæli ſuperumque ſummus
Rector humanæ cupiens ſalutis
Eſſe præcones, iter ac beatæ, oſ-
tendere vitæ.

Singuli

Singuli certas propriaſque parteis
Liberè ac promptè peragunt, canunt hi:
Poſteris hi quæ cecinere, iuſſi
Scripta reponunt.
His bonum ſeſe Deus ac fidelem
Teſtibus mundo probat: his ſui ipſos
Monſtrat authores homines pericli
Suppliciiq́ue.
Integra en conſtant duodena nullis
Diruta & vatum monumenta ſeclis,
Quæ &, edax quamuis, nequeat futurum
Lædere tempus.
Primus Hoſſeas animûm atque morum *Hoſſeas*
Dedecus praui & ſtudium notando
Seculi, pœnas merita atque rerum
Damna minatur.
Prouidus menteis meliora monſtrans
Credere & ſperare Deum rogando
Allicit, perſtat monitis, nefaſq́ue
Corrigit atrum.
Plorat ærumnas Ioel imminenteis *Ioel.*
Gentibus terræ, quater in ſuperbo
Orbis edendum imperium theatro
Cùm videt vnus.
Ductus è ſiluis Thecoæ bubulcus *Amos*
Linquit armentum celer & propinquis
Vrbibus dat ſe & populis tremendum
Iſacidiſq́ue.
Multiplex crimen notat inſecutus
Publicè admiſſum: ſceleriſq́ue quarti
Vim docet, quæ tam valet inſolentum
Perdere regna.
Iura prodenti populo ſuo atque
Principis diræ ſoboli ferenda
Bella prædicit miſeramq́ue peſtem
Eſuriemq́ue.

Numinis verum famulum ſuis de *Abdias*
Gentibus poſt hos memorem canentem
Omnia edoctum capita vſque rerum
Texere Idumes.
Te nec immenſæ veniæ miniſtrum, *Ionas*
Teſtem & exemplo Niniues tuoque
Liquerim, quamquam tenebroſa ceti
Viſcera celent.
Vnde dum viuus magis eniteſcis
Quæ mala iniuſtos maneant, ſalus quæ
Supplicum tactis animis paretur
Ferſque referſque.
Anne deflentem patriæ Mareſſæ *Micheas*
Vrbium & Iudæ miſeras ruinas
Debitas culpis patitur ſileri
Vocis imago?
Turribus Nini metuenda ab hoſte *Nahum*
Damnaque & regni excidium, ſacratos
Nec fore immunes Solymos Nahumus
Proſpicit index.
Primus at noſter labor Habbakuq dum ex- *Habbakuq*
trema bonorum cupit ac malorum
Diſcere attentus, memoranda in æuum o-
racula transfert.
Ducitur velox peragente curſum *Sephanias*
Mente Cuſſites, breuibuſque chartis
Gentium multos varioſque adornat
Ponere caſus.
Qui manent Iudam ac ſobolem Paleſtæ,
Et genus Cuſſi, Aſſyrioſque reges,
Ammena atque huius ſocium Moabum
Pignora Lothi.
Multiplex quorum ſcelus impiúmque
Crimen accuſans celebrat superni
Iudicis primam patientiam, poſt
Iudicium acre.

Iurgia

Iurgia Haggæi populum increpantis *Haggæus*
Audio,& pigras operas monet dum
Ducier ſancta ac veneranda templi
Tecta remiſſi.
Dummodo præſtet ſtudio probando
Quod poteſt plebes,ſinit atque tempus,
Sanctius fanum docet hoc magiſtro
Numine duci.
Flamma cui nec vis inimica ferri
Non edax rerum noceat vetuſtas.
Cui Deus ſemper placidus fauenſque
Præſit, & inſit.
Liberos & qui potiora patrum *Zacharias*
Edere exemplis monitor docendo
Sedulus curas, quoque canto proles
Te Barachiæ.
Integram pacem populi & quietem
Nulla quam tentent minuántve damna
Abnuis dum conſtiterint ſecundi
Mœnia templi.
Temporum ſed quod ſceleri atque culpæ
Certus adſcribis, pietatis vnam
Aſſeris curam, mala quæ expiando a-
uertere poſſit.
Inde in arcanam Solymam receptus
Præuides vibi populos minaces,
Hos & infeſtos memoras quis iræ
Vindicet ardor.
Claudit extremam ligat & coronam *Malachias*
Nuncius magni Malachia cæli,
Negligens qualem proprij ſacerdos
Muneris horret.
Horret ac ſentit populi exprobrantem
Impios ritus, ſtudia ac profana,&
Quidquid erratur, malè comparati
Fraude miniſtri.

Vnum opus cunctis eademque ſemper
Vatibus cura à Samuelis æuo
Publica humano generi apparata
Dona canendi.
Dona non vilis referenda verbis
Ore mortali ſobolíſque Adami
Senſibus quamquam ingeniiſque acutis
Cognita nunquam.
Sola quæ noſtros animos beant, quæ
Præter optandum nihil aut petendum
Poſſidet Tellus, nihil alma ſummi
Regia cæli.

DANIEL.

ET forma iuuenes præſtante atque indole victis
Abductos Solymis Babylona
Cernimus innocuum numerum diſtinctũ, & iniquis
Principibus gregibuſque nocentum.
Quid pietas, quid ſanctarum cuſtodia legum
Obſeruata Puer tibi prodeſt,
Si te cum ſociis captum durique tyranni
Addictum imperiis numeret ſors?
Atqui arcana Dei ſapientia ſiſtere magnum,
Mirandum quoque & hoſtibus ipſis.
Hunc parat hunc ipſum variis perſæpe periclis
Vſque ad nigri limina lethi.
Obiectum VIRTVS damnis duroque labore
Emicat, & creſcit melius quàm
Si nullis tentata malis neque percita curis
Marceat obſcuri vitio otI.
Sic dum te miſerum vulgus putat, ipſe beatum
Et ſimilem ſuperis Deus vngit:
Teque ſui populis doctorem numinis ornat,
Mente auget, vatemque reponit,
Cui cedat ſapiens Babylon, quæ ſidera iactat
Tractuſque poli ritè diu ſe

Nouiſſe, atque aliis terris monſtraſſe priorem,
Naturamq́ue & tempora rerum
Quæ fuerint, quæ ſint, & quæ expectanda trahãtur,
Quid volucris dextrúmve ſiniſtrúmve
Occinat, vt populis, vt ſummis fata minetur
Principibus, queis credula turba
Solicitamq́ue fidem damnoſaq́ue præmia præſtet
Optatæ cum laudis honore.
Horum vana docens Daniel figmenta refellis
Sermone ac viuis quoque rebus.
Aſſuetas regum iam blandis vocibus aureis
Obſcuris fallacis & auræ
Artibus, haud quiſquam mordaci pungere vero
Liberior, mage & integer extat.
Arguere & culpas & crimina dira ſeuero
Nil dubitas inceſſere dicto.
Inſtanteis & principibus populoq́ue ſequaceis
Pœnas aut auertere certis
Conſiliis monſtras aut expectare ferendas
Cæli irato ac vindice rege.
Hinc & Iacobi gentem cœtumq́ue piorum
E tenebris mediiſq́ue periclis
Vſque laborantem purgari paſſus ad almum
Ipſe diem producere tendat;
Et foueat certo fidentem præſidio dum
Terræ ac mundi cætera regna,
Vt pelagus variis rerum turbata procellis
Permutant facieſq́ue locoſq́ue.
Namque pater iudexq́ue hominũ regit vſque pios &
Mite genus, truditq́ue ſuperbos
Cum populis reges; vocat obſcurata nitentem
In lucem, denſiſq́ue tenebris
Occultat faſtus apicemq́ue in puluere condit,
Pro meritis caliceſq́ue propinat.
Interea expectanda probis bona ſecula Chriſti
Communem generiq́ue ſalutem

Æterni promiſſa Dei & firmiſſima dona,
Quæ renouent menteiſque animoſque,
Quæque ferant morti letum, quæ munia vitæ
Inſtaurent firmentque fidele.
Imperium cæli ac terræ mortalibus haud iam
Exemplis obnoxia legum,
Sed quibus ipſe Pater præſit, queis Filius almus,
Et ſanctus queis Spiritus inſit.

SECVLORVM LIBER V.

PENTECOSTE.

Elegia prima.

DE meſſis celebrāda dies iam frugibus, atras
Ire procul curas mœſtitiamque iubet.
Ipſe ſuam geminans lucē Sol aureus, almæ
Præcipit augeri munera lætitiæ.
Nunc ergo requieſcat ager, requieſcat & omnis
Exercet Dominus quem, propriúsve labor.
Soluite iumenta è ſtabulis, armenta vagari
Fas erit, à ſæuis ſint modò tuta lupis.
Aſt nemore effuſum vaſto peragrare magiſter
Ne ſinito, aut laſſum tardiùs ire pecus.
Squamiger atque hodie piſcis natet omnibus vndis
Securus, nullas dum timet inſidias.
Sancta omnes, moneo, peragant pagi otia & vrbes,
Agricola & cantu liberiore ſonet.
Vos quoque veſtra citi atque alacres curate miniſtri
Munera quæ ſancto fas properare die:

Addu-

Adductos pingui armento geminoſque iuuencos
Siſtite, lanigeri pignoraque alba gregis;
Septenos puros puris è matribus agnos,
Nullum quos vitium, quos nota nulla vetet.
Hæc tibi ſolenneis nam vendicat hoſtia ritus
Septima cùm redit terque quaterque dies.
Non ideo conſueta iugi officio pia ceſſent
Quæ fieri mane & veſpere ſacra ſolent.
Aurea vaſa nitent, candent argentea, & æris
Inſpice quidquid adeſt ſordis habere nihil.
Cuncta fouendo igni iam quæ ſunt ligna parata
Leuitum curam non carioſa probant.
Se fulgente ſtola velatum rite Sacerdos
Atque oculis plenum conſpicuumque gerat.
Huic humeros pectuſque ſacrum Phœniſſa decoret
Purpura & ordinibus myſtica gemma ſuis.
Linea & huic redimens frõtem, ſacra vitta quaternas
Præferat arcani nominis effigies;
Mundus et ipſe omnis maculis vitioque remotus
Expediat ſacri munera legitimi.
Farris item pingui ex oleo ſaturata polenta
Impoſitas aris imbuat vſque dapes.
Deinde malum populo auertẽs cadat hircus ad aras,
Expiet errantum crimina vt ille hominum.
Hoc agat, hoc flamen poſcat, precibúſque ſupernum
Concilier placans reſtituatque Deum.
Huic geminum de fruge noua proferre memento
Libum, quiſque tui ſis modo meſſor agri.
Nam decet authori frumenti & menſis & anni
Accepta hæc patrio dona referre Deo.
Non opis is noſtrę quicquã indiget, attamẽ huic nos
Debemus gratas reddere primitias.
His vbi conſpectis placido Deus annuit ore,
Ipſe ſuum veſci Pontificem voluit.

Ele-

Elegia ſecunda.

QVifquis ades, certiſque animis verbiſque faueto,
Dum peragit Flamen, dum bona dicta canit.
Is populo placidúmque Deum facilémque precatur,
Et quæcunque homines dona beare valent.
Is priſcos memorátque patres, poſcítque nepotum
Eſſe eadem fauſtis ſecula temporibus.
Hæc rata ſint quæcunque petis, vos dicite prompti,
Sint rata placato nilque negante Deo.
Inde alacres domibus partim partímque per agros
Solennem læti concelebrate dapem.
Expediat ſibi quiſque cibos & pocula promptè,
Quidquid in hos vſus contulit, expediat.
Eſuriat nemo, ſitiat neque, ſiue minor cui
Maior ſeu conſtet réſque penúque domi.
Diuitis hoc rex ipſe iubet, qui pauperis idem
Creditur, & certè eſt rexque bonúſque pater.
Ille iterum frugum decimas fructúſque ſecundos
Iuſſerat in ſacrum compoſuiſſe diem:
Indigena vt lætas epulas celebraret & hoſpes
Seu dis, ſeu cenſu pauperiore foret.
Ipſe hodiéque Deus mandat memorare, quid olim
Nos fuimus, noſtri quídve fuere patres,
Cum duris ferro vincti ſeruire tyrannis,
Creſcere & aſſiduas congemuere operas.
Nulla mora aut requies, nulla emoluměta laborum,
Quos miſeri ſubeunt, non ſibi, ſed dominis.
Si graue ſeruitium ſi pondera iniqua querantur,
Tunc quoque coguntur verbera torta pati.
Quid faciant? quò ſe vertant? aut quærere quodnam
Auxilium in terris præſidiúmve queant?
Non illis gentes aliæ quas dicere amicas
Poſſint, cognati non propè ſunt populi.
Terrarum quocunque loco natíue fuerunt,
Quóve hæſere diu, eſt gens peregrina tamen.

Mente valet quiſquam ex ipſis, tamẽ improbus alter
Non ſinit hunc animo liberiore loqui.
Sic nec in ignotis vlla eſt ſpes, ſic neque notis;
Triſti cuncta iacent vndique plena metu.
It creber in cælum, percuſſáque ſidera clamor
Tangit, clementem ſolicitatque Deum.
Impius hunc hoſtis gemitum & ſuſpiria ridet,
E cælo his nullam dum fore credit opem.
At bonus indignè iudex miſeretur agenteis,
Nec mala ferre ſuos vlteriora ſinit:
Sed vindex memor ac ſancti quod dixerat olim
Expedit arcani præuia cor ſi'ij.
Ipſe ſibi à puero carum lectúmque miniſtrum
E longo Moſem deuocat exilio:
Hancque dia virtute auctum & bene mente fidelem
Perdocet vſque ſui tempora propoſiti.
Hunc populo bona depreſſo iubet omina ferre,
Et mox pellendi ſpem ſolidare iugi:
Quamque mage inſtando mage ſæuiat hoſtis iniquo
Imperio, finem credere adeſſe docet.
Quis credat? tamen ille nouis pro tempore ſignis
A patrio miſſum ſe probat eſſe Deo.
Ille licet durum nimium ac peiora minantem
Liber adit regem, & ſedulus obloquitur.
Edit & ille prior miranda oſtenta, nec vſquam
Viſa olim, damno ſed leuiora tamen.
Exiguo clemens Deus hoſtem verbere primùm
Tentat vbi praua vult reuocare via.
Confictis mendax obſtat ſapientia monſtris,
Infecto hanc Moſes cedere dat culici:
Et quamquam inuitos cogit diuina fateri
Quæque refert vates quæque ſtupenda facit.
At Pharij mens non cedit furioſa tyranni,
Sollicitat pœnas ſed magis ipſe ſuas.
Tantum cæca animos iniuſta potentia turbat,
Et ſua dementeis in mala præcipitat.

Fructi-

Fructibus agrorum amiſſis, dulciſſima tandem
Et rex & populi pignora rapta dolent.
Nam primas pecudum proles hominúque per agros
Perque domos triſti funere quiſque gemit.
His bonus ærumnis noſtros Deus vſque parentes
Extare immunes incolumeſque dedit.
Iam licet, inuito quantumuis principe, tandem
Linquere depulſo regna ſuperba onere.
Iam cupit Ægypti plebes ceſſiſſe ſupremi
Victoriſque Dei caſtra tremenda ab agris.
Ipſe petita vltro veſtem vicinus & aurum
Aeráque iam facilis iam ſpolia ampla dabat.
Læta illo gens noſtra die proceſſit ouanſque,
Hoſtéque deuicto præmia opima tulit.
Quid memorem currus, equites, inimicaque tela
Obruta iuncoſi fluctibus Oceani?
Nocte vna populo gemino variata cadit ſors,
Mors æterna illis, his venit alma ſalus.
Non procul his illi incedunt camerata rubri per
Antra maris, quibus eſt murus vtrinque liquor.
Tantum eadem vtroſque capit diuerſaque nubes,
Afficit hos puro lumine, at hos tenebris.
Iuſſa locum reperire ſuum mox alta ſecutam
Hoſtilem immergens occupat vnda manum.
Aſt nihil vnda pios lædit, quos iam pede ſicco
Mirata è pelago eſt proxima abire dies.
Hinc viui incolumes extincto fluctibus hoſte
Seruitium eſſe iubent eſſe procúlque metum.
Securi atque alacres iuuenis pariterque ſenéxque
Et puer & choreæ docta puella canunt.
Vna ſalus cunctis diuino munere conſtat,
Vno omnes celebrant carmine lætitiam.
Qui modò crudeli domino iuſſiſque ſuperbis
Paruerat populus, gaudia liber adit:
Liber agit laudátque manum donúmque potentis
Authoriſque patrum vindicis atque ſui.

Iam meliora alacris meditatur tempora & vſus,
Nempe ducem credit iam ſibi adeſſe Deum.
Dum recolit modò quæ fuerit, mutatáque nunc ſors
Quid niſi vota edat? quid niſi carmen agat?
Hoc vnum gens cuncta agite regíque futuro
Purè vos dociles femina víque date.

Elegia tertia.

IAm precibus populóque ſacris de more peractis,
Annua Pontificem cura ſecunda manet.
Vos proceres plebíſque patres nunc veſtra tributim
Agmina diſtinctis ponite in ordinibus.
Canitiem fas eſt ſimul infirmóſque ſedere,
Stet verò immoto cætera turba gradu.
Auribus attentis ſeu vir ſeu femina, cuncti
Siſtite, ſiue ſenex, ſeu puer aut iuuenis.
Neu minor officio, neu maior deſit, at vna
Sit modò conditio diuitis atque inopum.
Publica res cunctis hodie celebratur, & omnes
Mortales, agitur quæ modo norma, tenet.
Hoc mandat cælo qui tempora dictat, & aſtris
Imperat ac terris monſtriferóque mari.
Quíque hominum curat turmas, ſed munera certo
Ille Iacobæum ducit amátque genus.
Ipſe ſuas leges ſancta & præcepta per annos
Voce Sacerdotis commemoranda dedit.
Quondam hæc dumoſo Moſes in vertice Sinæ
Authore excepit compoſuítque Deo.
Voce priùs audita Dei mox ſcriptáque ſaxo
Verba decem, totidem iuſti elementa docet.
Deinde quid expediat cuique, & quid ſingula poſcãt
Officia, arcanis condidit in foliis,
Hæc quaterdenis animo docili ille diebus
Expers vſque cibi & ſobrius edidicit.
Interea (heu, memorare pudet, ſed vera fateri
Conſcia mens cogítque ingenuúſque dolor)
Dum

Dum pius inſtruitur vates, dum ſancta docetur
Quæ bene culta homines dicta beare valent,
Ebrius indulget populus vinoque ciboque,
Oblituſque Dei nec memor ipſe ſui,
Impia vota frequens capit, ac noua murmure denſo
Poſcit & inſanis numina conſiliis.
Tunc vtinam nuptæ vxores innuptaque virgo
Mundo experte auri ac ſimpliciore forent;
Eſſet materies fundendo nulla iuuenco,
Æternum gentis qui fuit opprobrium.
At genus ornatum cupiens ad honeſtaque auarum
Prodiga dementat ſæpè ſuperſtitio.
Sacrilegum ſenſere ſcelus, doluere breuemque
Mutatam ſubito funere lætitiam.
Illis multa hominum iacuere cadauera in oris,
Dentáque teſtantur nunc monumenta nefas.
Nec gemini ſecus, heu, lapidis iactura gemenda
Quæ pretioſa almi dona Dei fuerant.
Artificis cæleſtis opus æquandáque nulli
Gemmæ ſaxa, hominúmque vſibus imparia.
Fortè eadem ſoli ac lunæ aut lucentibus aſtris
Natura, at minùs his contigit illa tenax.
Impietas populi tantum vexare modeſtum,
Heu, potuit vatem, frangeret vt tabulas.
Has ictu concuſſa graui tremefactaque Tellus
Occulto excepit, condidit inque ſinu.
Succeſſere nouæ Moſe excindente tabellæ,
Materies fuit hæc altera, ſaxa tamen.
Illæ eadem quæ tenuerant documenta priores
Immotumque Dei iudicium referunt.
Numinis eſt eadem ſemper conſtatque voluntas,
In carne hæc eſto ſcripta vel in lapide.
Sic legem terris, pelago ſic, ætheri & omni
Stellarum & turmis, quas numerat, poſuit.
Tunc auium genus æquoreum terræque animãtum
Progenies leges obtinuere ſuas.

Nulla

Nulla ſemel iuſſis non audiuere ſupernis,
Poſtera nulla ſuum dedidicere decus.
Nec proprias oblita horas fuit herba nec arbos,
Quæque nitet dicto proſeritúrque loco.
Solus vitæ artem & cultus turbauerat Adam,
Poſtquam vitio in tenebras ſéque ſuóſque dedit.
Vnde diu cæco miſeri cuncta tumultu
Orbis & eſt vitia expertus & officia.
Sed memor vſque Deus, quem ſemper fouit, amoris
En rurſum errantcis inſtruit ipſe homines.
Ipſe ſuo inſcribit digito edicítque ſacratis
Quidque hominem deceat dedeceatque notis.
Ipſe viam dux ire iubet perque ardua ſanctum,
Virtutis veræ culmina monſtrat iter.
Néve pede incerto titubéntve vagétve, lucernam
Præbet, difficiles dirigit inque vias.
Ergo alacri iuuet ire animo, & contendere in altum
Victori montem palma vbi clara ſita eſt.
Imperat en authorque Deus præſénſque benignam
Cum locus expoſcit, porrigit ille manum.
Pectoribúſq; recluſa imis quoq; cõprobat hoc mens
Vtraque quod legum ſcripta tabella iubet,
Ac metuit quæ dira horrens infauſtáque lex vult
In contemptores vt maledicta cadant.

Elegia quarta.

ALme Deus mœſtis miſerorum attende querelis,
Audi ſoliciti pectoris & gemitum.
Nam te importunos hominum curare labores
Quondam dura patrum vincula rupta docent.
Téque iugum ſæui memorant fregiſſe tyranni,
Improba & aſſidui munia ſeruitij,
Quæ mala nec noſtri proaui perferre valebant,
Nec petere ex aliis gentibus auxilium.
Tu bonus & populos vltro miſeratus egenteis
Aſſertor ſæuo detrahis imperio.

N Non

Non tibi quæſita inſidiis, non fraude, ſed alta
Tunc virtute potens nomina nota facis.
Hinc facilis, clemens, iudex, miſeríſque redemptor,
Iniuſti & vindex diceris eſſe doli.
Atqui illo non ſeruierat tibi tempore noſtra
Gens, bene non cultus nouerat illa tuos.
Nondum iura bona hæc, nondum præcepta ſciebat
Quæ nos nunc geminis diſcimus è tabulis.
Non apud Ægyptum fuerant tibi feſta dicata,
Arſerat inque tuis hoſtia nulla focis.
Et minor arcanum nomen tunc fama canebat,
Tradita & antiquis quæ monumenta ab auis.
Qui tua promiſſa exciperet vix vnus & alter:
Omnia turbarant nam labor atque dolor.
Sermonem priſcum patria ac tenuere nepotes
Nomina, veſtitus formam habitúmque ſui.
Cætera celarant generata obliuio longo
Tempore, & aſſiduis pauperies operis.
Multáque fortaſſe hæſerunt inſana, per orbem
Quæ tua ſpargebat, Nile, ſuperſtitio
Nile ferax frugum atque hominum ſeptẽplice porta,
Tu inſani cultus diceris eſſe pater.
Quid mirum, tua, quem, quondam mentitur origo
Orbe priùs genitum, cætera vana ſequi?
At nos edocuit Deus ipſe, atque vltima primis
Connectens veras iuſſit inire vias:
Nec miſera impediénſque animum ſapientis egeſtas
Occupat, aut victum quærere ſolicitat.
Prouida dextra Dei quid mentibus vtile monſtrat,
Altera ſuppeditat commoda cuncta manus.
Vt nihil, edoctos decus & ius faſque nefáſque,
Quærere quod pietas præcipit, impediat.
Nos decet vnum opus hoc totis præſtare diebus,
Nocte operum vacuos hoc agitare decet.
Sic licet vſque Deum nobis retinere fauentem,
Perpetuò vt noſtris conſulat ille bonis.

Expedit

Expedit arcanam ſic & ſperare ſalutem,
Quam ſæpe eſt noſtro pollicitus generi.
Dum diuina modò inſideant promiſſa fideli
Pectore, quiſque ſuum curet & officium.
Sed tamen, heu, mala mens aliudq́; aliudq́; per horas
Propoſitúmque mouet, conſiliúmque ciet.
Diuerſo ſtudio ſenſus animúmque labantem
Implicat & variis inuida cura malis.
Aut illa aduerſum ſanctas contendere leges
Nititur armato corde cupidinibus,
Et mala fallaci ſuadens ſermone colorat,
Et ſtimulat præceps improba in obſequium:
Aut nimis anguſtam queritur, quam legifer index
Ipſe viam monſtrat, difficilémque nimis;
Hanc & inoffenſo pede tendere poſſe negatam
Deſerit, atque alias inſtruit ipſa vias.
Sæpe per ignotos quærit compendia monteis
Quæ tamen infelix exitus excipiat.
Nec pudefacta malis erroribus inuenit vſque
Atque alia inſtituit per loca tendere iter.
Fallaces audit monitus, auditque fabellas
Oppoſitas legi diſſimiléſque tuæ.
Rurſum ducta agitur circum per inania teſqua,
Inuenit at longo feſſa labore nihil.
Interdum ſimulat diuina capeſſere iuſſa,
Sed cupit illa ſuis apta venire modis.
Duceréque in longum hæc contendit, contrahit illa
Audax & proprio comparat arbitrio.
Iam dextra flectens diuertit, iámque ſiniſtra,
Tu tamen vtramuis vel cupiiſſe vetas.
Quid prodeſt Pharij regis fregiſſe catenas,
Promendóque manus eripuiſſe luto?
Penſa quid & moles laterum nihil metuiſſe iuuabit,
Ingrata & cophini pondera Niliaci?
Si graue ſeruitium, ſi non leuiora ſuperſunt
Imperia occultos indita per dominos?

EXPIATIO.

Elegia quinta.

IAM bis quinta nitet ſeptenæque arbitra lunæ
  A populo & patribus concelebranda dies.
Lux hæc maiores plebem iuuenéſque ſenéſque
  Communi ſocios alligat obſequio.
Communi lux hæc inuoluit crimine cunctos
  Nec quemquam propriis excipit à vitiis.
Ecce datus populo doctorque paterque Sacerdos,
  Errati culpam noſcit & ipſe ſui.
Illum purpurea velut antea veſte decorum
  Ire hodie nemo per ſola picta videt.
Is primùm ſupplex contectus ſimplice lino
  Sacrificans purgat ſeque ſuámque domum.
Puro fonte priùs lotus membra, ac pede nudo
  Sancta, alio, ingreditur, non adeunda die.
Aureus huic Seraphim comparet, & aureus aſſer,
  Quæque ſubeſt legis conſcia ciſta ſacræ.
Atque ea ſepteno vituli reſperſa cruore
  Bis videt, ac ſancto ſpargit odore pius.
Ritè etiam templum & purganda altaria curat,
  Polluta ex noſtris conſüetudinibus.
Inde vt pro populo totum ſemel expiet annum
  Publica ob errores hoſtia præteritos,
Statque caper geminus, cadit altera victima ſorte,
  Itque execrandum hinc alter in exilium.
Ito caper noſtri ſceleris reus, & mala quæ nos
  Debemus, capiti ſint precor illa tuo
Túque ſequeſter age extorrem, neu poſſe reuerti
  Huc ſine, neu mox tu qualis abis redeas.
Nam ſcelus hic noſtrum, noſtra hic contagia defert,
  Te, moneo, liquidis ablue fluminibus.
Nos quoque qui triſtes heſternam ſicci & inanes
  Egimus & lucem, protulimuſque precem,

Sobria

Sobria gens donec mandata piacula Flamen
Ac ritus peragat ſobrius ipſe pios,
Aſtamus gens cuncta ſacro, votiſque fauemus:
Namque preci & votis publica cauſa ſubeſt.
Iamque iterum fluuio, ſicut priùs, ille lauatur,
Iam veſte ac vittis pulchrior ecce redit.
Verrite vos veteres cineres, & pura miniſtri
Ponite ligna, quibus ferueat vſtus adeps.
Quippe adipé conſumi hodie Deus imperat omnem,
A tubus hinc languor ſuppetit, hinc vitium.
Ac niſi creſcat adeps, nihilo minus integra conſtant
Corporaque & formis omnia membra ſuis.
Implicat hic renes, penetrat præcordia ſenſim,
Hinc fomenta malis orta cupidinibus.
Victima ſed vituli atque capri cum ſanguine fuſo,
Crimina confeſſis ſufficiet populis,
Ardeat accenſis flammis deuota, ſed intra
Caſtra hominũ aut turmas aut loca ſancta nefas.
Vrantur pariter pelleſque caroque fimuſque,
Integra cumque ſuis corpora relliquiis.
Ille quoque, hæc incendendi cui credita cura,
Cùm ſeſe & tunicas perluerit, redeat.
Ne qua dehinc vitæ ſuperent monimenta prioris
Auguror, atque hæc ſic myſtica feſta docent.
Cede dies, & perpetuis denſiſque tenebris
Inuoluens culpas occule præteritas,
Proximus atque annus quem cedens parturis vltrà
Purior hinc nobis liberiorque fluat.

CELEBRITAS.

Elegia ſexta.

QVid tua ſancta Deus celebrantes ſacra frequentì
Annua nos cœtu ter via facta iuuat?
Ipſe iubes repetenda ſequi veſtigia, & aram
Præcipis atque iſtas viſere ter facies.

Hactenus en cunctos valuit quos vita per annos
  Hoc iterum atque iterum ſollicitamus iter;
Feſtaque (nam mandas) ferimus donaria, quodque,
  Sufficit exuberans area, quodque lacus.
Hæc grati atque tui memores tibi ponimus omnes,
  Pluraque, dum placeam, ſim poſiturus ego.
Dum placeam, iuſſiſque tuis nil poſtuler vltrà
  Quàm mihi quod pinguis dat bene cultus ager.
Sed maiora tibi, Deus, ac meliora petenti
  Iuſtaque, confiteor me malè ſufficere:
Nam ſancto tibi deberi me ſiſtere ſanctum,
  Sanctaque ſic mandas concelebrare tua.
Terque quaterque libens puro me fonte lauabo
  Sic vtinam videar purus adeſſe tibi.
Siue probes nitidas veſteis & candida lina,
  Et cygno & niuibus candidior veniam.
Et virides myrti ramos & medica mala
  Suauibus æquè herbis florida ſerta geram.
Et nudis lotus plantis tua ſacra ſubibo
  Limina velato non adeunda pede.
Tum manibus terram ſupplex montemque cruentis
  Erepam genibus, collaque curuus ero.
Iamque gemam terram ſpectās, iam triſtis in altum
  Suſpiciam, & ſaxis oſcula multa dabo.
Cuncta mihi certum eſt meditari externa libenti,
  Si ſatis externis geſtibus eſſe voles,
Si non corde magis cuncta hæc animóque requiras
  Atque probanda tuæ mentis ad arbitrium.
Nempe animus ſimplex ac purus ſpiritus ipſe
  Crederis, & gaudes ſimplicitate Deus.
Simplicitas te ſola iuuat, qui prima colentum
  Pectora rimatus, viſcera prima vides.
Hæc tibi ſi placeant tum cætera cuncta placent, quæ
  Mentis ab internæ ſimplice fonte fluant.
Rurſus ab obſcuri quidquid depromitur antro
  Cordis, te placidum cernere velle negas.

Reiicis, atque tuos clamas feſta eſſe labores,
Quæ fiunt animis & ſacra duplicibus.
Tu cor, tuq́ue animum noſtrum, tu ſenſaq; mentis
Diceris ad cultus integra velle tuos.
Hoc primùm lex ſancta petit, neque iniqua iubendo
Reddi cuncta ſuo poſtulat artifici.
Deinde hominem nullum mandas me parciùs ipſo
Diligere, aut gratæ partis habere minùs.
Vtraque iuſta quidem, naturæ & conſona vero
Senſibus & puris agnita confiteor.
Vnde tamen venit vt primùm mea commoda totis
Conſiliis curem, perſequar & ſtudiis?
Atque hæc te precibus tacitis votiſque repoſcam,
Poſtrema at ſocij ſit mihi cura mei:
Imò eadem alterius, ſit quamlibet vltima cura,
Si non reſpicerem me, mihi nulla foret.
Alterius proprio ſi quando comparo amorem,
Pigrior ille gelu eſt, æſtuat hoc animus.
Cuncta mea vt ceſſiſſe mihi vel proſpera vellem,
Sic minùs alterius cuncta ſecunda moror.
Diſſimiles varioq́ue gradu ſocios loco: namque is
Proximus excipitur, ſit mihi qui vtilior.
Vicinum laudo qui me valet vſque iuuare:
A quo nil ſperes, ille remotus erit.
Sic mihi conciliant mea tantùm commoda amicos:
Quæ verè eſt merces gratia dicta venit.
Alterius rurſum leuibus perturbor & inſto
Erratis, nimium quæ mihi acerba cadunt.
Ipſe graue in ſocium ſi admitto crimen, haberi
Poſtulo magnanimus, vel minùs vſque malus.
Iniuſtè propriam didici defendere cauſam,
Rara eſt alterius credita culpa leuis.
Friget amor tenui ex vento, vel tempore languet,
Et ſi non moritur, tædia perpetitur:
Aſt odium ſemel incenſum fuit vſque, neque vllus
Finis conceptis eſt inimicitiis.

Lex tua, præcipuè feſtis recolenda diebus
Quæ fuerat, feſtis non bene culta iacet.
Sabbatha namque ideo primis & menſtrua lunis
Atque bono mandas otia certa die:
Quò pater & populus vacuus liberq́ue laborum
Ediſcant legis myſtica ſacra tuæ:
Vtq́ue tui cuncti ac ſocium meditentur amorem,
Aſſueſcant propriis ſinguli & officiis:
Te ſibi dum præſens meminit patribuſq́ue fauētem
Agnoſcat gratus quæ benefacta nepos,
Vt eadem maiora etiam ſperare fidelis
Debeat, & poſcat munera poſteritas.
Heu, memorare pudet, præpoſtera diſſona & iſtis
Mens hodie prauè quæ meditata gerit.

LEGIS BENEFICIVM.

Elegia ſeptima.

ERgo graue exitiū eſt & cauſa hęc mortis habēda,
Eſſe putabatur quæ mihi certa ſalus?
Quis credat diuina homini data munera, quorum
Vſus iam placeat, iam ſibi diſpliceat?
Tum quæ lætitiam & placidam conferre quietem
Sperabam, dolor hæc, hæc mihi finiſq́ue labor?
Antè ego dum proprio ingenio meditabor, honeſtis
Inuentiſq́ue mihi viuere poſſe modis,
Multa quidem voluens animo ſenſuq́ue volucri
Quærebam veri de ratione boni.
Ipſeq́ue plaudebam noſtris peracuta repertis
Conſilia, atque aliis iam documenta dabam.
Et quamquam varios nimium diuerſa videbam
Inueniſſe, tamen plus mihi grata mea.
Pugnabam interdum proprias defendere promptus
Normas, indoctus cedere diſſimili.
Illos tunc habui caros, queis noſtra placebant
Inuenta, his patuit ianua noſtra modò.

Cetera

Cetera mi vel docta minùs vel ruſtica turba
Excluſa eſt foribus conſiliiſque meis.
Iam numero multos amplis & honoribus auctos
Arte fuiſſe mea, gloria magna mihi.
Accuſare alios durè aut ſpreuiſſe notatos
Aut ſoleo falſa lædere amicitia:
Ipſeque mirabar terris diuerſa viriſque
Publica, priuatis cum, documenta coli.
Non rarò mentem ſtudui mutare priorem,
Et noua præceptis addere iam poſitis.
Iam damno mea prima, iterum damnata reſumo,
Iamque beata magis credo aliena fore.
Interea (verum fateor) nil dicere ſummum,
Non aliena, queo, non quoque noſtra, bonum.
Omnia plena notis, denſis ac mixta tenebris
Comperio, & cauſas eſſe inimicitiis,
Parere alterius, noſtris ceſſiſſe relictis
Legibus atque ſacris fit mihi religio.
Hinc & ad arma trahor, violenta capeſſere bella
Promptum eſt, & gladios & mala plura pati.
Nulla quies pugnis: ſi vinco, viuere noſtro
Cogo modo victos, & mea iuſſa ſequi.
Si ſuperor, cum doctrina victoris & arteis
Mutatis iubeor moribus accipere.
Non hîc, non illic, vel me vixiſſe beatum,
Vel quemquam ſeſe dicere poſſe putem.
Quid faciam? quò me vertam? quem iam propè vitæ
Et genitum in terris pœnitet eſſe hominem.
Cetera per latas diſperſa animalia terras
Degunt cuncta ſuis cognita in ordinibus:
Singula quod proprio generi natura creando
Præſcripſit, greſſu non variante tenent.
Solis nil certum eſt mortalibus, omnia cernas
Confuſa ac variis ſeditioſa viis.
Et tamen huic generi fertur ter ſanctior eſſe
Senſus, & effigies proxima cælitibus.

Sed miranda regit nitidum concordia cælum
    Cuncta mouens propriis conſona temporibus:
Contrà hominum demens variat diſcordia mores,
    Nec quiſquam ſibi vel,conuenit ipſe diu.
Hinc grauis inuiſuſque mihi feror, ac neque conſtat
    Certum iter,ignotas progrediorque vias.
Cur me terra parens genitum fers? an tibi ludus
    Me nuſquam certos conſtituiſſe gradus?
Cetera cuncta decus,me ſemper inutile pondus
    Eſſe tibi,ingratum muneribuſque tuis?
Vnum me propter ferre & nutrire videris
    Quæque iſto celas,quæque foues gremio.
Me tamen haud noui qua poſſis dicere cauſa
    In rerum numero atque ordine compoſitum.
Hæc me lugentem ſolio Deus audiit alto,
    Qui cælum ac terras temperat & pelagus:
Quæque priùs numen præſens probet, ignea flãma
    Ardet in illæſi ſentibus vſque rubi:
Plura etiam diuerſa addit mihi ſigna ſtupenti,
    Non niſi veraci ſigna mouenda Deo.
Tunc ait,ô terram parce accuſare iacentem:
    Illa nihil peccat, ludit & illa nihil.
Illa colit noſtras leges, fecundaque ſeruit
    Iis quos vita animat,præcipueque tibi.
Te malus iſte aufert, quondam qui perdidit error
    Inſertus membris viſceribuſque tuis.
Si neſcis,iam diſce tuæ primordia vitæ,
    Cui ſimiles nullas eſſe putes animas.
In noſtram extiteras primùm tellure creatus
    Effigiem, conſtat pars tua terra minor.
Spiritus à nobis conceſſus qui tua princeps
    Membra ageret,quondam contigit ille tibi.
Te verò maiora data tibi ſorte petentem
    Ambitio arripuit præcipitemque dedit.
Turbauit mentem caſus, vitalibus atræ
    Senſibus offundens ſemina ſtultitiæ.

Hinc tantum errorum caput extitit, hinc tibi tantis
   Cura malum peperit ſollicitudinibus.
Me ſine, te ſperas ſapientem viuere poſſe,
   Me ſine prudentem, me ſine poſſe bonum?
Imò diuinos me præter ſtultus honores
   Affectas, cælum me ſine ſtulte petis?
Hæc tibi, ſi ſaperes, fuerant decreta, meo dum
   Fidus conſtares gratus & imperio.
Sorte tua non contentus tentare negata
   Auſus, è proprio corruis ipſe gradu.
Ipſe vnus valeo, non tu, te reddere primum
   In decus, ipſe tibi commoda plura paro.
Vltro veracem iam me experiere bonumque,
   Tu modò monſtratam ſi velis ire viam.
En ſtatuam ſanctas leges, præceptaque vitæ,
   Quæ natura hominum non neget eſſe ſua.
His tu doctus eris, nec quiſquam ſanctius illis
   Obiecisse tibi poſſit & vtilius.
Sic rectum curuo, falſo diſtinguere verum,
   Non aliàs æquè noueris aut pariter.
His bene te imbutum bene & exercere volentem
   Edita de cælo munera noſtra iuuent.
Inde vbi præſcriptum ſpatium percurrere tempus,
   Præmia mortali non referenda manent.

AGNITIO.

Elegia octaua.

NOn mihi in alterius culpam iam crimina aut vni
   Criminis experti quærere iure licet.
Non iam cura prior quid quiſquam ſentiat, aut quo
   Cogitet experiens viuere conſilio.
Maius conſtat opus, reſtat ſudorque laborque,
   Quærenda eſt morbis ſi medicina meis.
Hactenus ægrotare omneis certè ipſe putabam
   Diſſimileis noſtri moribus ingenij.

Et mihi præcipuè ſanuſque valenſque videbar,
Plaudebam inuentis vnus & ipſe meis.
Solos qui mecum ſentirent, rebar amicos
Inuidus aduerſis legibus ac placitis.
Inde odia & rixas inimicaque bella querebar
Ingenij alterius crimine lata mihi,
Turbare & noſtram delicta aliena quietem,
Iuſta videretur cùm mihi cauſa mea.
Diſcuſſis tenebris proprium cognoſcere morbum,
Et ſentire malum lex mihi ſancta dedit.
Hæc me diuini deduxit luminis vmbra
Quod ſatis eſt vt ſim cognitus ipſe mihi.
Hæc docuit, qualis fueram, qualemque reliquit
Me ſcelus antiqui primaque noxa patris.
Nec nouiſſe piget memet, ſed ſortis auito
Crimine turbatæ pœnitet vſque meæ.
Hinc generis pudor. & hinc vitæ tædia, magnis
Anxietas cincta & ſollicitudinibus.
Nam video mihi nata intus mala ſemina belli,
Ipſe hoſtem tacito pectore porto meum:
Ac miſer ipſe mihi inſidias fraudemque dolumque
Et ferrum & flammas & mala multa paro
Nemo nocere foris tantum valet, heu mihi, quãtum
Viribus ac propriis artibus officio.
Prælia nemo ferox hoſtis pugnaſque mouebit
Si priùs huic animo ſit bene culta quies.
Ipſe ego dum cupio, dum menti indulgeo, plura
Quàm ſatis ad vitam ſint, malè ſtultus ago.
Hæc dum non facilè contingunt, faſque nefaſque
Miſceo, certus humo diripere atque polo.
Si non pœna grauis, ſi vis non maior auenti
Obſtiterit, paruus ſit labor in ſcelere.
Non propria contentus ope, implacabilis vſque
Ipſe mihi ex aliis ſæpe cupita peto.
Inde inimicitiæ externæ & fera prælia nata:
Ludimus, inque vices & rapio & rapior.

Iam

Iam mala me ambitio perdit, iam gloria vani
Exagitat miſerum nominis ac tituli.
Quod nihil eſt, nihil eſſe ſciens, tamē vſque petēdum
Cenſeo, & admiror ſtultus & inuideo.
Meq́ue Deo ſimilem fingo, & fore dico beatum,
Si vulgus noſtris pareat imperiis.
Hinc tabies inimica hominum materq́ue furoris
Impulſum in cædem præcipitemq́ue rapit.
Sic ego per curam atque metum duroſq́ue labores
Indico generi triſtia bella meo.
Si vinco, ſatis haud quicquam eſt, ne ſufficit vnus
Orbis, & anguſtis æſtuo limitibus.
Non aqua, ſed leuis eſt ventus quidquid bibo laudis,
Dum feror inuictus, dicor & indomitus.
Sic tumet ac ventis agitatur pectus iniquis,
Viſcera ſic marcent, exuperatq́ue ſitis.
Quid referam aſſiduas liteis nimiumq́ue moleſtas,
Quas veſana meo corde libido mouet?
Quídve voluptatum peſtem tetrumq́ue venenum,
Queis magis vt pereo, ſic magis & ſtudeo?
Hinc ego curarum tantum, tantumq́ue dolorum
Perpetuò ægrotis nutrio viſceribus.
Hærentem internis mortem geſtare medullis,
Me miſer, expertus ſentio & excrucior.
Scilicet hæc fuerant quondam quæ noſſe parentum
Prima nimis cupiit nouit & improbitas.
Hæc nimium docili hæredi legata ferali
Conſtat iure mihi ac tradita cognitio eſt.
Atque vtinam pater ac nati indoctiq́ue rudeſq́ue
Huius doctrinæ (nam potuere) forent.
Simplicitas vtinam nobis priſca illa maneret,
Quæ nil veſtis egens, nil tamen erubuit.
Quid vetita affectaſſe iuuat, quid noſſe negata?
Sat rerum primi, ſat, ſapuiſtis aui.
Quidquid erat mundus, terrarum quidquid habebat
Orbis, noratis, quidquid & Oceanus.

Vos

Vos decuitque boni atque optanda peritia pulchri,
  Sed malus hanc doctor dedidiciſſe iubet.
Quo tandem ſtudium deduxit vtrunque ſciendi:
  Scire bonum licuit, ſcire malum nocuit.
Quis me, qui iam ſum tot vitæ incommoda doctus,
  Oblitum ſtatuens dedoceat penitus?
O quis me mihi ſubducens bonus aſſerat author
  Seruitio ſcelerum, mortis & imperio,
Vt valeam viuens, & poſſim dicere, viuo,
  Eſſe Deus qualem iuſſerat, & valeo.

POENITENTIÆ VOTVM.

Elegia nona.

QVis ſuperûm, vndãteis lacrymarũ det mihi riuos
  Perpetuò è mœſtis ducere luminibus?
Quis nimium ardenti renouet ſuſpiria cordi,
  Temperat vt flammas ventus & vnda meas?
Vror enim interno mentis, cruciórque, receſſu,
  Nec ſupereſt tantis ignibus vlla quies.
Ante ego (confiteor) memini ſentire latenteis
  Æſtus in noſtris creſcere viſceribus:
Et memini occulto impulſum feruore, malis me
  Curis vexari & ſollicitudinibus:
Ac veluti furiis actum in mala plurima ſæpe
  Et linguam & promptas diſſoluiſſe manus.
Dumque animo nimium cupienti indulgeo, nullos
  Lædere parcebam quamlibet innocuos.
Terruit interdum turpiſſima quæque parantem
  Vel culpa, humanæ vel metus inuidiæ:
Conſulere hinc ſtudeo famæ ſtudeóque rubori,
  Seruire ac pariter quæro cupidinibus:
Inuenio ſolers vultus linguæque decorem,
  Angelico vt videar callidus ore loqui.
Membra, manus, oculos, quod vulgus fallere poſſit
  Spectatum, oblato tempore diſſimulo:

Integer

Integer hinc ſanctúſque feror, ſanctóque vocato
Plaudo mihi, ingenio gratulor & proprio.
Quòd mihi ſi locus, obductæ fauántve tenebræ,
Audere eſt nullus crimina dira pudor.
Dum lateo, turpis, nequamque & nudus oberro,
Cultus & in claro lumine conſpicior.
Tunc menti aduerſam, tunc actis, improbo lucem,
Inuito quæ me detinet officio.
Dum videar lauderque bonus, dicarque modeſtus,
Prudens eſſe mihi ſic ſatis vſque reor:
Nec tantum curare Deum penetralia cæci
Pectoris, vt linguam ſuſpicor vtque manus:
Hunc fingo facilem non puto ignoſcere cordi,
Hunc ridere meis fortè cupidinibus.
Natus homo in terris, cupio terreſtria: quidnam
Mirum? Stat proprio quæque animans vitio.
Me non ipſe Deus ſibi conferet: illicet aſtra
Culpabit, modò ſi comparet illa ſibi:
Purior eſt cælis & ſole eſt clarior, omnem
Naturam propria viuere ſorte volet.
Dummodo in exemplum non prodar criminis atri,
Me cupidum patitur quamlibet ire viam.
Tum mihi ſat fuerit non tangere ſi placet vxor
Alterius, vel ſi res aliena placet.
Cætera turba hominũ lædũtque nocentq; viciſſim,
Et nullo apparent viuere conſilio:
Illis diſſimilem gero me, nec dicere poſſit
Qui mea commemorat facta, quid excipiat.
Commodus vſque meis viuo, iucundus amicis,
Vtor & acceptis gratior officiis:
Non impunè feror læſus, non prouoco primus
Quemquam: fas me qui læſerit vt doleat.
Non decet inſonti nocuiſſe, at condecet ardens
Vltio præclatum magnanimumque virum.
Hæc mihi fingebam certus præſtare, probandus
Atque Deo atque homini, viuere dum meditor:
At

At diuina meum tandem lex cognita ſenſum
  Occulto pulſans verbere corripuit:
Illa, Deum, docuit, primam depoſcere mentem
  Expertem vitij, nil cupidumque animum:
Pectoris illa aditus puros, imaſque latebras
  Ingenua placidas ſimplicitate petit:
Diſſimilemque aliis animantibus antè creatum
  Me docet, excelſi participemque animi:
Monſtrat & vt primùm fuerim cæleſtis imago
  Numinis: hoc certum nil magis eſſe mihi:
Vtque ſui effigiem pulchram Deus exigat omni
  Exemptam vitio, carnis & obſequio:
Hancque ſui ſibi velle ædem ſacrare capacem:
  Nam locus authori conuenit ille Deo:
Ergo ſe expetere, ille, bonum, curareque ſolum,
  Imperat exactor, præterea atque nihil.
Sic vera effigies exemplar proſpicit vnum,
  Sic propriam exemplar conſpicit effigiem.
Nulla probat ſecum impuræ commercia carnis:
  Eſt etenim purus Spiritus ipſe Deus.
Hæc dictante ſimul memini me diſcere lege,
  Iratum, Vitæ pœnitet vſque meæ:
Nam video nullo ingenio nulla arte valere
  Diuino immunem ſiſtere iudicio.
Mille cupidinibus, miſer, heu, malè cogor in horas
  Seruire, in propriis quos alo viſceribus.
Sancta placet menti (fateor) lex, iuſta probatur,
  Quam Deus inſciſo marmore propoſuit:
Haud tamen illa animo curas cupiente reuellit:
  Tantùm perpetuos incutit illa metus:
Imò eadem, quæ iam legis rudis antè cupiui,
  Cùm mage prohibeor, tum magis & cupio.
Internis regnat (ſcio iam) lex dira medullis,
  Diuino quæ obſtat certat & imperio.
Hæc miſerum lucta exercet ſuccumbere pronum,
  Perque agor in præceps terque quaterque diem
Sæpe

Sæpè nouas tentaui arteis, ſi fallere quauis
  Curam, quæ nimium eſt imperioſa, queam.
Siccus, inanis ego ſolitus producere ſoles,
  Dulcibus auertor contineoque epulis:
Ac ieiuna diu macreſcere ſentio membra:
  Ille tamen prauus gliſcit auens animus.
Sæpiùs intendo mentem in cæleſtia, ſed me
  Depreſſum in terram cura moleſta refert.
Iam lego, iamque cano, iam ſacra volumina vatum
  Pſalmorum aſſidua concino voce librum.
Dum lego, dum recitoq; memor, dum carmina dico,
  Cogito quod ſacra me lex meminiſſe vetat.
Longum iter, procul abſenteis inuiſere terras
  Conſtituo, melior ſi rediturus eam.
Per mare perque vias comitem tamen improba cura
  Se dat, & ingrato pectore vecta ſedet.
Si tardas vigilo brumæ, ſi dormio noctes,
  Quæ vigilem exercent, reddit & illa ſopor.
Iam pede nudato incedo, iamque aſpera corpus
  Induit hirſuto ſtamine texta toga:
Interdumque artus contortis vro flagellis,
  Et lentè effuſo terga cruore madent:
Membra dolent, ſed læſa, animi mentiſque rigorem,
  Nil prauo, accuſant, cedere propoſito.
Mox hominum turbas fugio & contagia vulgi,
  Moribus ac turpi qui nocet eloquio.
Me ſeruum tamen (heu) fugitiuum ferre catenas
  Sentio nodoſas nec minùs vſque graueis.
Inſtantem dominum per denſas horreo ſiluas,
  Sæpius internis pareo & imperiis.
Illinc vt redeo, ſacra me in collegia iungo,
  Dedo emendatis diſcipulumque viris.
Sufficiunt pia verba ægro & bona dicta magiſtri,
  Excipio, & certis ritibus inſtituor.
At bona cùm didici facilis dictataque reddo,
  Improbus exemplis cenſeor ipſe meis.

Non pia verba valent proſum purgare fluentem
Ex animo labem, non bona conſilia.
Non nihil iſta leuant, & morbum fallere viſa,
Non tamen interni eſt hæc medicina mali.
Lædere me miſerum potui, potuiq́ue perire:
Vt perij, ſaluum reddere me haud valeo.
Humana (video) ſemel eſt vt perdita vita,
Non potuit ſeſe reſtituiſſe ſibi.
Cætera quî poſſint quæcunque hic continet orbis?
Namque ea ſunt vno cuncta minora homine.
Ergo quid quæram aut repetam niſi te, Deus, vnum?
Vnicus ægrotum me recreare potes:
Vnicus & rerum vita es, & luminis author:
Tu ſuperûm vita es, tu quoque lux hominum.
O, miſerere operis precor (ô) cari tibi quondam
Non ſolito placidum vertere propoſitum.
Iamq́ue hominem ipſe tui mortalem vnius egentem
Viſere curandum ſuſcipere atque velis.
Me dum reſtitues vitæ, me dum tibi ſeruum
Aſſeris, ad laudes conſulis ipſe tuas.
Nam quamquã Deus immẽſus ſapienſq; potẽſq;, &
Vatum carminibus diceris eſſe bonus;
Fama ait vlteriùs longè te audire benignum,
Inde tuis primum laudibus eſſe decus.
Ergo bone, ô, tua, quam fallax ſubduxerat hoſtis,
Se tibi reddendam poſcit imago, VENI.

BENE-

BENEDICTI AR. MONTANI LIBER VI.

ORIENS.

ORBIS GAVDIVM.

OPTATAM veterum temporibus diu,
Promiſſamque piis antè parentibus
Aduenifſe boni progeniem Dei
Tellus prædicat & polus.
Audit non ſolitis paciferam modis
Vocem ſpirituum Terra canentium,
Auditæ ac referunt laudis imaginem
Montes & caua flumina.
Præſentis celebrant carmina gloriam
Authoriſque Dei: ſurgere & aureum
Seclum perpetuò terrigenis boni
Patris fœdere nunciant.
Reſponſis liquidum pacificis fauet
Cælum: nam media nocte nitentibus
Commutat tenebras luminis ignibus
Longè & ſole prioribus.
Aduenifſe ſalus publica dicitur
Seruatorque hominum, quin locus ac dies,
Decantata etiam ſigna prioribus
Quondam vatibus indicant.
Anguſta ſpaciis, nomine at optimo
Fauſta, ac nobilium patria Bethlehem
Et noſtri puerum ſanguinis & Deum
Naſcentem ſibi vendicat.
Infantem tenui quæ hoſpitio prior
Integræ ex vtero virginis editum,

Lucentis mediæ noctis & algidæ
Horis excipit. & ſtupet.
Nam nullis genitrix preſſa doloribus
Hoc ſancti genitum numine Spiritus
Pignus depoſuit, quod celebrent poli,
Quod tellus colat & mare.
Cuſtodes ouium, mite hominum genus,
Spectatum properant, indice & Angelo,
Nati mira vident matris & integræ
Exempla ac referunt noua.
Eois veniunt de regionibus
Gens aſſueta virûm doctaque cernere
Cælorum variis aſtra micantia
Signis multiplici & gradu.
Splendore & radiis ſtella recentibus
Iudæis docet hos dicere iam datum
Quam ſunt pollicita oracula Principem, ad-
orandum petere & iubet.
Nempe & ſimplicitas, & ſapientia
Quam veri ſtudium curaque concitat
Exercetque frequens, hæc ſibi principem
Tandem comperient Deum.
Quem non ambitio, nec popularibus
Infelix inhians gloria laudibus,
Inuentrixque doli ſæua potentia &
Semper cæcus amor ſui,
Quæſitum licet, haud inuenient tamen;
Regem quippe ſibi hunc præficere abnuunt,
Inſeruire ſuis ſed mage commodis
Aſtutam in ſpeciem volunt.

IESV PVERITIA.

INiurioſæ plena libidinis
Interminati & conſcia criminis
Mortalis Adami propago
Ad ſubitam properat ruinam.

Nam

Nam cæterarum ſecla animantium,
Quàm multa duplex protulerat dies,
In pace degunt, nil vetuſtis
Ordinibus variata vitæ.
Communis illas nullus agit metus,
Præterque ſolum nil hominem pauent,
Hic vnus inſontes neque vnis
Artibus exagitat nocendi.
Mirum quid? ipſum quando ſuum genus
Deducta ab iiſdem turba parentibus
Crudelibus preſſura ſemper
Inſidiis violenta turbat.
Tam multa mater non fouet in ſinu
Tellus alendis commoda fœtibus,
Læſurus vt parare multas
Nouit homo docuitque formas.
Diuiſa primùm relligionibus
Diuerſa linguis progenies, malas
Diſcordiarum ſuſcitandi has
Perpetuas facit eſſe cauſas.
Dictata priſci diſcipulus tenax
Auget Caini, exercet & inuidus,
Primo gemens quo parricidâ
Terra Abeli maduit cruore.
Ille innocentem moribus integris
Spectare fratrem non potuit diu,
Sed numini gratum furente
Eſt odio iuuenem inſecutus.
Doctrina iam non alterius valet,
Nec lingua, gentem perdere; durius
Addicta Chriſto gens ſodales
In proprios furibunda ſæuit.
En Belga miſcet prælia Belgicis;
Gallus malis en ſeditionibus
Iam tot per autumnos laborat,
Ipſe ſuam acceleratque cladem.

Ciuile bellum ſiqua, neque hoſtium
Sentit furorem terra, beatior
Non degit, indicenda longæ
Sed mala perpetitur quietis.
Inſida prauos ambitio dolos
Componit, vlli cedere neſcia,
Caris amicis non honeſtè
Parcere nec docilis propinquis.
Perdit minores dira potentia,
Iuris tremendo nomine per domos
Graſſata, temnens fas nefaſque,
Innumeris penetrat miniſtris.
Nullum caput non cæca pecuniæ
Vexat cupido, cui ſatis eſt nihil,
Quæſtumq́ue probroſum verendo
Perdidicit decorare fuco.
Eiecta noſtris finibus ac locis
Mœrens remotis exulat æquitas,
Veriq́ue prolem ius fidemq́ue
In tenebris gemimus iacere.
Inſanientis prompta licentia
Luxus, furenti proruit impetu,
Bacchata per ſummas, per imas
Improba nequitias vagatur.
Nec corrigendi temporis in dies
Contaminatis moribus vndique
Spes vlla fulget, aut malorum
Vita modum noua pollicetur.
Quin vindicantis crimina publicum
Iuſti veremur iudicium Dei,
Vel ſulphur immiſſum Ghamoris,
Vel patris alluuium Noahhi?
Monſtrata natum quæ docuit parens
Exempla latam congeminant viam,
Et gaudet audentis iuuentæ
Conſilio atque animis magiſter.

Non turpe noſtris in pueris ſenex
Ducit, quod olim vel foret impium.
Huic artibus tempus modeſtis
Ponere dedecori arrogatur.
Non ſic Mariæ filius, ex Deo
Intaminata progenie ſatus,
Monſtratus in terris per omne
Dux hominum & bonus author æuum.
Non alter illo noſſe peritior
Quæcunque quinto ſcripta volumine
Moſes reliquit, quæque ſancti
Carminibus docuere vates.
Ter quartus annus vix puero fuit,
Cùm conſulentumque & referentium
Collegia admirata patrum
Detinuit ſapientiorum.
Atqui ille quamquam terrigenis prior
Cunctis, Deo ſeſe nouerat editum,
Quanquam valeret diſciplinis
Angelicas ſuperare claſſes;
Semper parentis virginis attamen
Sanctique alumni vocibus audiit;
Hos vtili intentus labore &
Perpetuo obſequio iuuare.
Sic luſtra mitis ſena peregerat,
Gratus Deo ſic, ſic & amabilis
Mortalibus cunctis, ad vſque
Muneris officium recepti.

DE OPERARVM PENVRIA AD Apollinarium Huergum collegam.

HVerge, ô cara meæ pars animæ ac prior
Hac, qua viuo tui colloquij carens,
Quæris ſolicitus prouidus ac doles,
Quid tam noſtra malis tempora moribus

Infametque hominum plura negotia,
Seu priuata notes,ſeu mage publica?
Quæ ſi legitimis ponderibus pares
Et Chriſti trutina cernere, diſcrepant
A veris adeò legibus & modis
Quondam Chriſticolûm, vt dixeris eſſe opus
Non cenſore graui iam, ſed aruſpice:
Cùm tam multa nimis pulpita concrepent
Doctorum aſſiduis vocibus vndique,
Quæ vel dura valent rumpere marmora,
Sed noſtris faciant pectoribus nihil.
Vt multum doleas hæc mala, deſines
Mirari, veterum ſi bene cùm nouis
Componas hominum exemplaque conferas.
Nam glebam ſimilem,lectaque ſemina,
Et(qui non minimus te feriat dolor)
Prudenteis operas artis & optimæ
Gnaras, ac domini quas ſtudium ſui
Attentas agat, & non ſua commoda,
Cogeris miſerans Huergue requirere.
Eſt qui ætate noua protinus inſcius
Quid monſtrare velint ſancta volumina,
Nondum diſcipulus, ſed tamen audeat
Doctorem temerè ſe populis dare,
Indoctus iuuenis, conſili & indigens,
Annis, ingenio præcipiti leuis,
Dictu digna, neque aut digna ſilentio
Aptus diſparibus ſiſtere terminis.
At pars magna ſuis & ſibi conſulens,
Merces vendibileis vndique conuehit,
Quas magno pretio vel minimo appetens
Veri non docilis femina comparet,
Viuendique rudis delicias meras
Ac credens facilè ac dein facilè abnuens
Mutandus decies arripiat puer.
Dicacem iuuat at quem fama iocoſior,

Qua-

Qualeis perſequitur ſcurra, facetias,
Et cura & ſtudio congerit, & graue
Munus dedecorans, prodere negligit,
Dum ſtultis populi indulgeat auribus.
Quidam compoſita fronte ſeuerior,
Nil quemquam dubitat lædere contumax:
Importunus enim non vitium notat,
Sed vel nominibus vel capiti improbis
Inſtans opprobriis, inuidiam facit:
Libertatis item gaudet inanibus
Imprudens titulis, nil magis integer,
Nil rectis melior moribus Hinc ſibi
Et ſanctis odium muneribus parit,
Dum miſcet temerè magna minoribus
Author diſſidij plebis & ordinum.
Laudari ſapiens quiſquis, & artium
Multarum cupit audire peritior,
Hunc & aura leuis non proba gloriæ
Pulſat mille modis milleque fluctibus
Vrget, nil memorem quo teneat viam,
Nec quis portus erit, quem petat, aut quibus
Frenet nauigij funibus impetum,
Ventis tota ſinit vela loquacibus,
Mirato eloquij verba volatilis
Vulgo, qui nihil hæc attonitus capit.
Iam ſi diſpoſitis partibus æmuli
Quiſquam certet auens vincere gratiam,
Et palmam ſtudeat præripere, illicet
Nullum peruigil hîc non lapidem mouet,
Nullas inſidias præterit, aut malis
Nuſquam (dum ſuperet) fraudibus abſtinet.
Cunctis vnus ineſt his gregibus furor,
Captandi & populi dira cupiditas:
Incantata ſimul corruit artibus
Iſtis nam populi maxima pars; neque
Diuinare vacat, ſtultitiæ malo

An doctor prior, an vulgus iners cadat,
Certè vtrumque malis vſque laboribus
Inſaniræ vides atque doles pius.

IESVS PRÆCEPTOR VNICVS.

NOn vnus Solymis & populo Iſraël
Doctor contigerat tempore, quo vafer
Herodes variis templa refecerat
Saxis, aſſere & aureo.
Arcano ſolitus multa volumine
Signare, & minimis doctus acutiùs
De rebus penitus diſſerere arduas
Normas ſcriba frequens erat.
Illinc Hilelitûm cuncta notantium
Legis verba ſuis vndique terminis,
Hinc laxare ſciens arcta licentiùs
Certat Samaïæ domus.
Nullis non plateis, omnibus in foris
Doctores videas triſti habitu graueis,
Longa & pollicitos veſte ſeuerius
Quicquam ac legitimum priùs.
Vrbes, rura, & agri, cunctaque compita
Feruent diſcipulis alta ſcientium,
Qui voce ac precibus multa loquacibus
Cæli ſolicitant fores.
Diſcretis varia & per loca cœtibus
Moſes & veterum oracula perſonant
Vatum, & carmina, quæ patriæ pater
Dauid concinuit pius.
At vox miſſa Deo, quam ſterile & ſolum,
Et teſtantur agri, fluminis ac ſacræ
Ripæ, audita notat cum populo patres,
Legis proditæ & arguit.
Cunctos officij dum proprij inſcios
Accuſatque rudeis, dum reuocat vagos,

Dum

Dum natos patribus iungit idonea
Lymphis tingere ſupplices.
Clamans illa monet ſternere commodam
Demiſſo æthereis de ſoliis viam
Legato, ſolidæ quem ſapientiæ
Doctorem inſtituit Deus.
Hunc vult eſſe Pater quiq́ue ſalubria
Doctrinæ populis lumina porrigat;
Hunc & qui valeat vincla reſoluere,
Quæ mortale ligant genus.
Quidquid protulerant hactenus omnium
Voces atque ſcholæ terrigenûm arguit
Humani aut tenebras ſomniaq́ue ingenI,
Vmbram aut luminis iſtius:
Nec ſeſe ipſe negat, nempe minoribus
Acceſſiſſe operis: Nam digito indicat
Agnum, qui veniens hoſtia publica
Pro cunctis litet vnicus.
Non hunc ambitio, non proprius facit
(Aiebat) populo ſiſtere ſeſe honors
Sed magni vehemens obſequium Patris,
Humani generiſq́ue amor.
Quin vltro ipſe hominum ſe ſimilem mihi
Nuper prætulerat, tum quoque tingier
Puro cumq́ue aliis flumine poſtulat,
Queis ſeſe adnumerat volens.
Cuius iam ex vtero conſtiterat mihi
Virtus nota viri, non tamen omnia,
Quæ præſtare valet, munia noueram,
Donec me docuit Deus.
Nam dum victus ego cedo modeſtiæ
Exemplo eximio, membraq́ue candida
Claro fonte lauo, fluminis inſolens
Gaudentis ſtupeo impetum.
Vix inde ille madens prodierat, fores
Cùm ſanctus reſerat Spiritus ætheris,

Atque

Atque alis veniens ipſe nitentibus
Huius vertice conſidet.
Qualem diluuij conſcia vindicis
Arca excepit auem carpere termites
Frondis pacificæ ferreque compotem,
Talis numinis illius
Viſa eſt forma mihi. Tunc didici modos
Et mite ingenium, pectus & integrum,
Virtutemque animumque & ſtudium Ducis
Terris quem Deus annuit.
Pacis perpetuæ Pontificem optimum
Doctoremque hominum: Nam ſubitò auribus
Noſtris (quam tenuit quiſquis & aſtitit)
Vox alto æthere perſonat.
CONSTAS ESQVE MIHI FILIVS VNICVS
Dilectuſque Patri; quidquid agis, places:
Solus carus item noſtrum animum tenes,
Solus conſilium efficis.
Qua tunc voce poli motus amabili
Axis contremuit lætitiæ ſono,
Et ſol multiplici lumine pulchrior
Quàm quarto enituit die.

DIVINI ELOQVII TRIVMPHVS.

Carmen Dicolon Diſtrophon.

TRemenda quiſquis hactenus terribilis
Horrebat hoſtis prælia,
Fortis deinceps atque firmo pectore
Temnat furentis impetus,
Spectata poſtquam permanet victoria
Ducis probati & vnici:
Exempla cuncta cuius eſſe proſpera
Et certa dat piis Deus
Teſtatus, huius acta nulla non ſibi
Placere, magnis arbitris.

Hic

Hic & maligni non timenda robora
Luctantis hoſtis præmonet,
Sed improbos fallacis artis ac malæ
Latentis & fraudis dolos:
Queis ille tortuoſus ac vetus draco
Attentus inſtat callidè,
Conatus vſque principem virtutibus
Fidem doloſè pellere,
Vana vel illam ſæpe confidentia
Miſcere turbulentius,
Aut prælianntis contigiſſe lumina
Falſa bonorum imagine,
Prudentiora queis vel corda iudicum
Mutare poſſe dicitur.
His ille prauus artibus, mortalium
Quàm multa preſſit millia?
Regeſque ſummos ſæpe ſæpe ſubdidit
Suis ligatos vinculis?
Iſtis quoque hunc ſe perdere autumauerat
Poſſe & Mariæ filium,
Dictum Deo ſit quamlibet carum caput,
Planeque natus audiat:
Sed cæteris quos Eua nempe protulit
Eſt compar hic, & eſurit:
Ærumna nulla vexat Adamo ſatos,
Hic innocens quam non ferat.
Tentator ergo pulſus, iis locis, quibus
Fidebat amens, exulat:
Bis, terque victus atque damnatus procul
Campum reliquit liberum.
Inſanientis inde vel fluctus maris,
Vel Teſqua quærit inuia,
Suæ remotus vt malam prudentiæ
Deploret impotentiam,
Vel regna tetri tartari gemens ſuis
Caſum relaturus petit,

Secum

Secum tremens quem turba deploret ferox
  Grauis ruinæ certior.
Ruinæ, Auernas quæ citò manet domos
  Victoris huius munere.
Sic eſſe in alti lege præſcriptum poli
  Immobilis iuſſu Dei:
Et priſca Vatum ſueta nunquam fallere
  Sic prædicaſſe carmina.
Communis inter argumenta plurima
  Doloris, hoc nimis premit,
Monſtrata cunctis arma iam fidelibus,
  Vinci quibus draco ſolet:
Humana protinus mittenda, viribus
  Quæcunque inuenta & artibus.
Namque iſta paruo callidus retundere
  Dæmon ſolet negotio.
Illud veretur, ſe vt tueri quis Dei
  Sermone veracis paret:
Sermone, quo præſente conſtant omnia,
  Abſente cuncta corruent:
Quo quiſquis vſus integer valentiùs
  Miles fidelis enitet.
Illi triumphi carmen & palmæ decus
  Grex Angelorum proferet.

VIRTVTIS DEI VERBVM IESVS.

VT ſolis aſtrum lumine profluus
Fons & caloris viuifici potens
  Telluris infernè iacentis
  Cuncta loca & pelagi gubernat.
Non ille poſtquam præſtitit omnibus,
Lucere iuſſus, ſideribus, diem
  Diſtinguere, & mundum benignis
  Deſtitit ordinibus iuuare.

Non

Non ceſſat almæ muneribus bonis
  Lucis, redundat queis, mare & infimas
  Fouiſſe terras, non ſuperni
  Regna etiam decorare cæli.
Obſcura quanquam tempora Veſperis
  Abſente viſus lumine linquere,
  Tunc ſidera humentemq́ue lunam
  Nobilitans facit emicare.
Nunc ſumma cæli templa perambulat,
  Vicina terris nunc propiùs videt:
  Vel dexter omnem vel ſiniſter
  Continuat peragrator orbem.
Atque ipſe nunquam de ſolio poli
  Deductus alta & fertur & infera
  Luſtrator ingens ambulare,
  Et pelagi penetrare fundum.
Nam quidquid almum per iubar igneus
  Sede in beata ſol agit ac mouet,
  Communis eſt id laudis, alter
  Vendicat alterius decorem.
Natura vtrique & vis eadem, Patris
  Sol nomen implens poſtulat, vnici
  Sed iura, cari & nati honores
  Ipſe ſuo Iubari arrogauit.
Maioris hæc ſed, (ſint bona quamlibet)
  Mundum creator cùm Deus edidit,
  Virtutis æternæ ſuæq́ue
  Eſſe dabat monumenta laudis.
Namque ille ſumma ſede manens bonus
  Regnator, alta atque infima comparem,
  Per quem crearat cuncta, natum
  Præficiens regit & recenſet.
Quod nunc videtur, nil fuit aut erit,
  Authore conſtet quod ſine Filio:
  Quæcunque noſtris & remota
  Senſibus, hic eadem parauit.

Vnam

Vnam Parens hunc dat ſapientiam,
    Vnam ſibique hunc vult fore dexteram,
    Hunc iuſta ſemper conſulentis
    Propoſiti inſtituit miniſtrum.
Quin & paterno conſilio & ſacris
    Nati fidelis nutibus adnuit
    Vtrunque qui deuincit almo
    Spiritus exhilaratque amore.
Orbis, malum, quod principium recens
    Senſere & olim poſtera tempora
    Non huius ex virtute factum,
    Id nihil eſt, fuit, & futurum.
Authori amanti quæ facit omnia,
    Cui præter vnum diſplicuit nihil,
    Maiora priſcis exoluto
    Mens fuerat nihilo nouare.
Ergo reducto quem tenuit ſinu
    Carum, creator quem dedit arbitrum
    Naſcentis orbis, dat benignus
    Conſiliis Pater integrandis.
Mors, ira, pœnæque, & mala plurima,
    Quæcunque in orbem protulerat Nihil,
    Per compotem pulſanda Natum
    In tenebras fuerant remotas.
Antiqua quod non ſecula viderant,
    Quamquam efficaci numine nobile,
    Poſtrema viderunt paternæ
    Secla iubar decus atque lucis.
Id ſe videndum ſponte gerens Patris
    Summi probandam præbet imaginem,
    Eſt ipſe & vnum Patri, & vnum
    Eſt & idem Pater ipſe Nato.
Æternus alta vt templa tenet Parens,
    Viſit peragrans Filius vnicus
    Terras, vtrique authori at omne
    Conſtat opus pariter potenti.

PLV-

PLVVIA VOLVNTARIA.

FEruentis olim cùm vitio aëris
 Æſtas moleſtos ingeminat dies,
  Diffiſa venatum dehiſcit
  Gleba ſoli, intereuntque plantæ.
Nullus relictus floribus eſt honor,
 Herbæ & virentis nulla vel omnibus
  Vel rara ſunt exempla campis,
  Et ſtipulis ager vſque canet.
Tum ſicca Tellus ſpectat & inuocat
 Votis, polorum qui ſolium tenet,
  Rectorem, & humentis mariti
  Poſcit opem & ſitibunda rores.
Multum gementis vocibus excitus
 Ardentis auram nubilat ætheris,
  Vicinus Autumnus, breuemque
  Fert pluuiæ vehementis imbrem.
Solamen illa & nomen amabilis
 Vt ſenſit imbris, brachia tollere
  Et viſa complecti cupitum
  Et madidum inſinuare munus.
Nonnulla, cernas, nuper vt horrida
 Siccis iacebant quæ loca faucibus,
  Nunc roris iniecti & caloris
  Temperiem properè indicare.
Depreſſa ceptis prima virent aquis,
 Gratumque gramen prata parant gregi,
  Nec deſiturum pollicentur
  Temporibus venientis anni.
Tunc non & vnis picta coloribus
 Vilis Iacynthus ſenaque lilia,
  Bulbique, montanum crocumque,
  Flore micant ſubeuntque nudo.
Sed permanentem proxima tempora
 Brumæ, decorem floribus abnuunt,

Præſtare promiſſámve terras
Non pecori patiuntur herbam.
Quin & pruinis & nimio gelu,
Telluris albos reddit & aſperos
Vultus, abortiuumque fœtum
Triſtis hiems facit interire.
Donec reuerſo ſole Dies nouus
Sensim calere & creſcere viſitur,
Verique concedunt tepenti
Cum gelidis niuibus pruinæ.
Diffundit altis nubibus imbrifer
Ventus beatas iam pluuias, quibus
Non defuturo læta partu
Terra fouet grauidata ſemen.
Tum ſp ſſa campis cernimus vndique
Naſcentis herbæ ſecula creſcere,
Diuerſa adornat quos odore
Vis, facies, ſpecieſque florum.
Tandemque onuſtus fructibus impari &
Lætatur annus pondere ſeminis,
Gaudetque iam meſſor colonus,
Præterito ac fruitur labore.
Humana quondam non ſecus aridos
Æſtus, malamque pertulerat ſitim
Mens, inuidi peccati vt ignem
Senſit auens tacitaſque flammas.
Quidquid probatæ combiberat priùs
Hæc diſciplinæ & condiderat Deo,
Doctore & auctore, impotentis
Vis rapuit ſcelerata culpæ.
Natura ſiquid continuit boni
Senſus, ruebat ruſticitas ferox,
Et mille permiſcens Cupido
Sentibus relliquias premebat.
Agri excolendi qui foret optimus
Et parte nulla difficilis modus,

Rati

Rari ſciebant, quos benignus
Adnuerat Deus eſſe vates.
Ignota at horum carmina plurimis
Terris fuere, atque vrbibus & viris,
In vel minores tracta ſenſus,
Sordibus aut famulata auaris,
Terrena primas commoda & vtilis
Priuata cura & ſtudium lucri
Parteis tenebant, vix at alti
Mens animi tenuit ſecundas.
Sic vera virtus rara per ordines
Viſenda cunctos nec tamen obuia
Deſideranti exempla ſummo
Vſque Deo dabat arbitroque.
Si quid virentis forſitan exhibet
Tellus coloris, quod placet auribus,
Sermonis eſt compti magis quàm
Seminis eximiæve frugis.
Radicis altæ, quæ penitus ſolo
Hæreret imo ac pectore paululum
Tentationis vel minoris
Impetus, en, ſubitò arguebat.
Tum floribus lux illa nitentibus
Fucata, primo extincta periculo,
Atque arte verborum placentum
Compoſitum ſtudium iacebat.
Fruſtra Abrahamum ſecla requirerent
Huius nepotem vincere nobilem
Audiuimus mirati: Iobum
Fama canit mala perferentem.
Duxere noſtri tempora ſeculi
Brumæ repulſo frigore iam bonum
Attemperatæ fœdus horæ
Sole dies referente pulchros.
Effœta nulliſque hoſpita paſcuis
Antè arua, mirum, cernimus optimæ

[illegible] umbra [illegible]
[illegible] geminare culmum,
[illegible]
[illegible] temperat
[illegible] noſtros
[illegible] agros.
[illegible] aurum
[illegible] protinus
[illegible]
[illegible]
[illegible] Deus
[illegible] auribus
[illegible]
[illegible] vndas.
[illegible]
[illegible] quamlibet ardua
[illegible] acutus
[illegible]
[illegible]
[illegible] pocula diſcrepant
[illegible]
[illegible] quantum!

AD IESVM PRÆCEPTOREM.

Ille [illegible] ſuperare
[illegible] & [illegible] animis propinquus,
[illegible] operata pulſat
Vocis Ieſu.
[illegible] patris ac Dauidis
[illegible] ſoboles probata,
[illegible] ſoboles potentis
Iure paterno.
[illegible] vſque noſtri
Tempora [illegible] & horas,
[illegible] omnis memoranda auorum
Inuidet ætas.

Mira nam quamuis recolantur olim
Viſa in Ægypti regione monſtra,
Et iugum patrum & teretes catenas
Rumpere iuſſa:
Quamlibet poſt hæc nimium tremendas
Monte fumoſo inſonuiſſe voces
Nouimus, certos patribus locuto
Numine teſteis:
Addam & incultas Arabum per oras
Plura, quaternis decies in annis
Et bona & mixta his populo merenti
Edita damna:
Cuncta præſenteis docuere (ſanus
Quis neget?) cæli ac ſuperûm miniſtros
Angelos rerum varium ferentes
Pro vice donum.
Sed quid ad noſtros referens dies, hæc
Comparem, cùm tu Deus & Parentis
Filius magni, venias Patri idem
Et minor & par?
Par Deo viuens Deus, atque imago
Efficax Patris, ſapiens eodem
Numine, eiuſdemque ad agenda ſummi
Roboris hæres.
Quod facit fortis Pater, hoc potens tu
Efficis: ſoluit, ſoluiſti & vnà:
Alligas, tecum pariter ligat, cui
Vnicus es nunc.
Vnicus quondam & fueras priùs quam
Pulcher hic mundi globus extitiſſet,
Finis antè expers ſimul, & ſimul pòſt
Fine carebis:
Es Deo rurſus minor ipſe, poſtquam
Sanguinis noſtri nituiſti & extas
Compos, humanæ è numeroque gentis
Diceris vnus.

Vnus, aſt omni vitio remotus,
Prima quod cunctam in ſobolem creauit
Culpa maiorum, ſcelus atque auitum
Fluxit in omneis
Poſteros, vnum niſi te, nouus quem
Ordo naſcendi iubet, inter, vnum
Excipi natos hominum, quibus ſis
Cætera frater.
Nil ſenis mores imitatus Adæ,
Quin noua & veræ & ſuperis placentis
Certa vt exemplar monumenta vitæ
A puero fers.

AD IESV DOCTRINAM audiendam Concio.

VLtima promiſſi venerunt tempora ſeçli,
Iuuat ſacrata ſi adnotare carmina
Signaque, veridicos quæcunque exponere vates
Deus iubebat adnotanda poſteris;
Nuper & ad liquidas intonſus Iardenis vndas
Iohan canebat innouare iam Deum
Secula, mortali & generi præſtare benignum,
Bonus volenſque fauſta quæque dixerat.
Pluribus ille index monſtrauit teſtibus agnum,
Recens malum vetuſque, qui vnus expiat.
Hunc ait eſſe, bonas fruges qui purget ariſtis,
Poli repoſta conferatque in horrea,
Hunc & qui ſtipulas paleamque & inutile quidqui
Vouet perennibus voranda ab ignibus.
Ergo iam veterum ſatiati, non ſaturi ſed,
Nouum petamus grex amice poculum.
Senſiſtis mecum certe, fateamur & omnes,
Sapore vt aſpero officit vetus merum:
Quod poſtquam guſtu fauceis tentauit, & ora
Amara torſit atque læſit impotens,

Nil

Nil tamen ad certam magnum experiare ſalutẽ, aut
Opem latentis intus ægrimoniæ.
Quiſnam inde accipiat vitam, mortemq́ue repellat,
Grauis reſurgit vnde morbus auctior?

NAZARENI PRÆCEPTORIS doctrinæ examen.

Mira & auditu, & nimium remota
Verba vulgatis noua diſciplinis
Perſonas, doctor penetrant quæ in altum
Pectoris antrum.
Semper horrendum (fateor) minacis
Legis audire imperium ſolebam,
Multa præceptis elementa paruis,
Multaq́ue magnis.
Hæc mihi magnis numeris modiſq́ue
Sæpè partitus metuenda monſtrat,
Quem colo, certis venerorq́ue donis,
Scriba magiſter.
Is graue & pondus docet & labores,
Atque mandati innumeras cateruas,
Nec manum laſſo tamen aut cadenti
Porrigit idem.
Nec valet, quanquam potiore veſte
Me poteſt criſpa & ſuperare fronte:
Cuius haud noſtris leuiore flamma
Viſcera feruent.
Dictat obſcuris mihi longa verbis
Crimini vt poſcam veniam precator,
Mille peccandiq́ue vias pererrans
Indicat idem.
Nil opis præſtans geminat tremorem,
Meq́ue vel veri dubium relinquit,
Vel mage obſcuro magis & ſoluto
Corde pauentem.

Regna tu nunquam ruitura dicis
Condita in cælis, Patris & repoſtas,
Quas, opes, vltro dabis impetrator
Diuitiaſque.
Liberam profers requiem, laboris
Et mali expertem, & potiora miro
Pane, quem priſci ſtupuere quondam,
Fercula, patres.
Quæque vel totum ſemel hauſtæ in æuum
Iam ſitim pellant, ſaturentque viuæ
Cordis è fundo ſalientis imo
Fluminis vndas.
Denique æterni dia dona regis,
Quæ Deo caros homines Deique
Filios, fratres tibi ſic volenti
Siſtere poſſint.
Author vt certa hæc ſtatuas, neque vllos
Improbæ gentis populare fundos
Nemo ranas, & queritur moleſtas
Nemo locuſtas.
Aër eſt œſtri culiciſque purus,
Grandinis nulla aut pluuiæ nocentis
Sæua tempeſtas, pecoriſque clades
Nulla timetur.
Prima natorum periiſſe rapta
Pignora infantum pecudúmve mater,
Obrutum fratrem aut pelago virum quæ
Femina mœret?
Quin & oppreſſos grauibus ruinis
Nunc tuæ vocis ſubitò leuari
Cerno virtute, & validè iuuantis
Munere verbi.
Luminis fert hic oculos refectos,
Parua cum magnis procul inde monſtrat,
Publicè quo vel caruiſſe conſtat
Matris ab aluo.

Alter

Alter auditu pariterque lingua
Captus, expreſſa probè & eloquente
Laude declarat bene reſtitutum
Os ſibi & aures.
Ille contagem ob cutis è frequenti
Ciuium cœtu relegatus, iſto
Exſuit verbo ſcabiem, reditque in
Templa profeſſus.
Corporis nuper mediis ſolutus
Artubus, per te vegetus reſurgit,
Quoque nunc lecto iacuit, leuatum
Tollit, abitque.
Centies ruptos priùs aut remiſſos
Barbyti tendam renouemque neruos,
Quàm queam morbos numerare, ſoſpes
Quos releuas tu.
Vidimus raptos iuuenes, puellam,
Te fores clauſi reſerante lethi,
Redditos patri, & lachrymoſa verſæ in
Gaudia matri.
Quin malo gaudens vitioſa Satan,
Plura quæ infeſtus miſeris ferebat
Damna, vi iſtius gemit efficacis
Irrita verbi.
Sæpè victori tibi & imperanti
Cedere is viſus, grauis & querelæ
Voce clamabat, properas Dei nos
Perdere fili.
Omnia humana vice te priorem
Facta teſtantur tua, queis probaſti
Dicta cæleſtis patriæ, & beati
Nuncia regni.
O Deus certè, Patris ô miniſter,
Doctor & verax operis potens &,
Auribus puris tua verba ſano vt
Corde bibamus.

MYSTERIORVM CHRISTI INITIA.

QVò me ſanctè vocas Dei?
Secretumque iubes à ſapientibus
Mundi, diſcere neſciis
Quæ diſcenda doces, ire per aſperos
Montes, & nemus inuium,
Deuotæ petere & rura Samariæ,
Diſcendi cupidum noua
Ore dicta tuo ignotaque ſeculis,
Quanquam optata, prioribus,
Tantùm ſed tenui viſa in imagine?
Non alta Sione eſt ſatis,
Nónne ampli Solymis ſat ſuperat loci?
Heic myſteria nouimus
Quondam veridicis credita vatibus,
Queis terræ atque potens poli
Rex, te pollicitus pontificem, ſui ac
Doctorem fore conſilI
Promiſſique boni te duce præſtiti.
En quis me ſubitus leuem
Sublatumque ſolo ſpiritus extulit,
Subducta ac nimium procul
Terra, non ſolitum nubibus hoſpitem
Pennis præpetibus rapit
Atque Euro atque leue liberius Noto?
Nullum me ſuperat volans,
Non ſoles aquilam intendere perſpicax
Puri & conſcia luminis,
Non ſi quicquam aquilis euolat altius.
Vates mente noua ſenem
Eliam referam, credite poſteri,
Illum curribus igneis,
Vltra altas nebulas ſuſtulit Angelus,
Fidi ac diſcipuli dedit
Attenta in ſuperos fallere lumina.

Sic

Sic me nunc merito imparem,
Olim quæ ſoleo ducere grandia
Rerum, Spiritus excitat
Longè ſub pedibus preſſa relinquere:
Idem nubeque candida
Occultum, ſociis ne videar meis,
Donat ſiſtere & à ſacri
Non longè putei margine, quem valens
Luctator Sicharûm pater
Suffectura ſatis pocula foderat.
Heic iam cominus audio
Tecum quid mulier conſcia diſputet,
Magne, ô Nazaridûm decus,
Præceptorque hominum, viuida vox Dei,
Lumen qui rudibus potes
Afferre ingeniis, vt videant propè,
Quæ iam cernere mitibus
Fas, altis animis ac tumidis nefas.
O me, ſi placeat modò
Quæ miranda iubes diſcere, in intimo
Mentis ponere pectore
Inſtructum officij muneribus tui,
Quis me ſorte beatior?
Me ſit quis ſapiens lætior omnium,
Quos vulgus memorans colit
Humanum ac decorat iudicium viros?
Inſigne audio, dicere
Quod verſu nequeam, nec capit inuidum
Mortale ingenium, bonis
Verbis inſipidum ſemper & artibus,
Vani conſilij tamen
Nugarum & ſtudij perpetuum ſequax:
Sed nec digna ſilentio,
Quæ tu Chriſte doces, femina & excipit:
Namque hæc de Patris abdito
Promis propoſito, quæ referas piis,

Vltro

Vltro & concilies bonus,
Et promiſſa pares munera commodus.
Ergo iuſſa memor canam,
SEMOTVM eſſe Deum corpore ſpiritum
Veri Pontificem boni
Qui veris animi ſe petat excoli
Donis, inque animo extruat
Sedes ipſe ſibi templum & amabile,
Vnde & ſacra perennibus
Semper viua fluant flumina fontibus:
Illa vt mens ſemel hauſerit,
Nec lethum metuat, nec miſeram ſitim.

DE IESV PRÆCEPTORIS OPORTVNA ERGA DISCIPVLOS PROVIDENTIA.

Ad Læuinum Torrentium, Epiſcopum Antuerpienſem.

LÆuine noſtri pectoris optima
Pars, ô colendum nomen in omnibus,
Quaſcunque vel ciuis vel hoſpes
Ipſe adeam teneámue terras.
Tu doctrinarum matris & artium
Nuſquam otioſæ gloria Belgiæ,
Quem Scaldis altè portuoſo
Pontificem veneratur amne.
Deſiderati pôſt mihi temporis
Menſeis & horas dum recolo ac dies,
Queis te, tuo queis & fruebar
Colloquio, nimis, heu, laboro.
Tuis receptum vidit in ædibus
Me flaminalis concio Legiæ,
Atque Arduenæ denſa ſilua
Me comitem tibi læta vidit.

Tum

Tum Rhetiarum per iuga & Alpium,
Perque hoſpitaleis Alſacidum focos,
Heluetios ac per lacus, mî
Nullus erat labor vna eunti.
Namque affluentis fluminis iſtius
Facundiæ vis & ſapientiæ
Quæcunque præſtabant viarum
Fallere vel nimium moleſta.
Diuerſa quanquam pes premeret ſola,
Nunc valle, nunc per ardua montium,
Offenſa nuſquam mens per æthram
Fecit iter mea, te locuto.
Diuina ſemper dignaque prædicas
Et mente & ore & munere Præſulis,
Vt te, Deo iam tum docente,
Nunc quod agis, tenuiſſe credam.
Argenti & auri commoda mentio,
Quæ laudat omnis vulgus & appetit,
Si facta quandoque, illa iuſtos
Continuit memorata fines.
Nil me potentum (dicis) opes iuuant,
Et longa ſemper diuitibus via,
Iniuriæ ac fomenta curis
Iſta parant, animo ac laborem.
His comparandis dedita mens, nihil
Poſſit bonarum percipere artium;
Aſt artibus bonis carens quis
Seſe hominum in gregibus recenſet?
Humana quando condita per Deum
Natura rubro è puluere conſtitit,
Mortale qua ſortita corpus
Parte ſui, mera terra vixit.
At qua perenni viuida ſpiritu
Contendit altis iungier Angelis,
Regnantis in cælis imago
Clara Dei effigieſque conſtat.

Sed

Sed quanta menti ſtultitiæ putem
Hęrere damna (heu) cui placeat nimis
Curare terrena, ac perenni
Nullam animo poſuiſſe curam?
Quantum probantur cætera vincere
Quæcunque vincunt nos animantia?
Incerta quæ nunquam futuri
Temporis excruciauit hora.
Hæc nec ſecundum proſpiciunt diem;
Hoc, quem Dei ſe viuere munere
Sentire poſſunt perfruuntur
Expoſito bene læta paſtu.
Ventura nunquam ſecula cogitant,
Integra præſtat linquere ſeculi
Et regi & authori ſcienti
Cuncta bono variare nutu.
Quòd ſi vocanti me facilem velim
Præſtare Chriſto diſcipulum, quibus
Quantiſque curarum malarum
Solicitudinibus carebo?
An legis illum non memorem reat
Iuſtus Pater quam ſanxerat, vt ſuos
Nemo laboranti per agros
Emeritum neget vſque victum?
Quin ipſe bis ſex teſtibus optimum
Se prouidentem præſtitit: hos nihil
Deſideranti mente faſſos
Multa ſcio loca peragraſſe.
Ceſſator vnquam non fuerim (improbam
Præceptor odit deſidiam) ſua
Se quiſque in arte haud negligentem
Præbeat, & referat magiſtrum;
Si nil ſuperſit, nil deerit tamen,
Hæc certa præſtat pollicitus mihi
Si expeditiuſque imperatam
Ibo viam nihil ipſe onuſtus.

Quan-

Quandoque lux ſi commoda poſtulet
Conuiuiorum feſta ſodalibus,
Non ſordidas hic prouidebit:
Præſto epulas mihi tunc patronus.
Præſens remotis vel ſubitò in locis
Ex pane, qui vix ſufficeret tribus,
Et piſce bino comparate,
Multa cibo ſuperante, menſas.
Cœtus virilis iuſſa recumbere
Bis mille quinctum & corpora, queis fames
Exempta ter quater caniſtros
Relliquias ſupereſſe ceſſit.
Nulla heic ciborum tædia ſenſerat
Quiſquam gulæ quantumlibet imparis;
Æquè frequenti hoc confitetur
Multiplici ac mulier palato.
Nam de puellis & pueris, iuuat
Quos quidquid inſit, dummodo plurimum,
Nil diſputaturus laborem
Cùm ſaturos rediiſſe conſtat.
Nudum licet me, me & vacuum nihil
Chriſto vocanti pœnitet obſequi,
Securitas cui diua ſeruit
Atque Fidem comitata merces.

DE OBEDIENTIA FILII DEI.

Alme Sol, quartus nitidùm dies quem
Plurima in mundi celebrat creatum
Commoda, ô lùcis pater, efficacis
O Pater ignis:
Noctis obſcuro procul vſque ab antro
Aureum differs agitaſque currum
Semper inſomnem, vigil ipſe, nunquam
Laſſus eundo.
Sæpiùs terras veniens reuiſis,
Et creans certas renouas per horas

Cuncta, queis vaſti decoratur orbis
Infima ſedes.
Humido vires pelago reponis,
Magna queis poſſit generare monſtra, &
Piſcium certo numero carentum &
Nomine formas.
Tuque Tellurem vario colore
Induis florum, viridíque fronde,
Inque iucundi ſpeciem theatri
Lampada præfers.
Ac ſemel natus micuiſti poſtquam,
Naſceris nunquam moreriſque nullus:
Ortus at nobis tamen occidenſque
Diceris idem.
In tuis munus poſuit medendi
Conditor pennis: nihil ipſe quenquam
Lædis: innato vitio laborant
Et pereunt res.
Si qua non iſtis bene temperatam
Ignibus ſeſe facilemque præbet,
Irruit præceps, ſua te arguente &
Iudice damna.
Quiſquis at ſano tua dona cepit
Corde, laudandum canit ille ſolem
Vulem totis ſine fraude pulchri
Partibus orbis.
Sunt tamen, queis vel nimius vocatus,
Vel grauis, non tam placeas, & eſt qui
Nomen inſano malè vexat ore &
Improbus iſtud.
Tu quidem nullis hominum ſuperbus
Laudibus, nullo opprobrio retentus,
Credita accreſcis tibi, nec minora
Munia reddis.
Lege conſtanteis tenet iſte ſemper
Orbitas curꝛus iubaris benigni

Plura

Plura qui ſtellis & amica terris
Dona miniſtrat.
Sed quid hæc miror? fueras imago
Ante præſentis ſimul & futuri
Cuncta per mundum penetrantis amplum
Mœnia VERBI.
Ille te quando poſuit miniſtrum
Lucis, & quartas renouare partes
Temporum iuſſit, proprio quotannis
Fine premendas;
Dixerat poſthac meus eſto præco,
Quique mortaleis doceas, quid ipſe
Rebus in paruis variare poſſim, &
Condere magnis.
Tu polo ac terris liquidis & vndis
Porriges quantum ſatis vſque claræ
Sit facis, quantumque oculi valebunt
Ferre minores.
Ipſe ſed longè meliore Princeps
Igne lucendo ſuperos iuuabo
Spiritus, denſam Patris & beatis
Ciuibus aulam.
Idem & arcano officio atque nullis
Mentibus noto aut animis creatis
In mei celſas homines ciebo
Luminis arceis.
Quæque mortalis fuit, illa Tellus
Viribus iam tum bene fota noſtris,
Fundet æternos, potioraque iſtis
Munera, fructus:
Qui iuuent lautas repleantque menſas
Regis in cæli ſolio ſedentis,
Quas ego, & ſanctus pariter recumbens
Spiritus, ornem.
Interim tu Sol age, vade, iuſſam
Sedulus normam teneas, memorque

Te neque in cælo ſine me nitere aut
Viuere poſſe.
Audiit IEHI monitis libenti
Sol & attento ſtudio obſecutus:
Ille ſe clara ſimul atque fuſca
Nube recondit.
Inde mundani imperij regebat
Ductor atque author dociles habenas,
Abditus noſtris oculis, at igne
Pectora tentans.
Cumq́ue pellendis tenebris dicata
Hora, ſeclorum volüente curſu,
Fulſit, Auroræ è gremio recens Sol
Editus almæ eſt.
Is dabat ſeſe bene temperatum
Senſibus noſtri generis, minùs nec
Illius diui iubaris tenebat
Iura vicemq́ue.
Quanta mortali ſoboli paratus
Largus & ſemper bona fecit vltro,
Quanta Satanæ pepulit rogatus
Damna nocentis.
O & ægrotos quoties ad ipſos
Sponte deſcendit, validiq́ue dicti
Aura in inſtanti ſubitò leuatos
Iuſſit abire?
Plura at internis potioraq́ue iſtis
Mentis ornato in thalamo creabat,
Spem, Fidem, puros ſociorum amores,
Vimq́ue ſciendi.
Omnibus ſemper numeris modiſq́ue
Se nihil ſontem probat, & patronum
Vitæ & authorem, mala quiq́ue poſſit
Pellere damna.
Nec ſuam, quamuis meritus, repoſcit,
Sed ſtudet promptus iubet atque gratam
Optimo,

Optimo, cuius iubar eſt, parenti
Cedere laudem.
Ac frequens quanquam latret hinc & illinc
Inuidus, qualeis generoſa virtus
Fert, tamen nil hunc malè ſana fortem
Lingua moratur.
Reddit infenſis bona verba probris,
Perdere & qui ſe cupiere, ſeruat.
Integer, præſtans peragit ſecundo
Omnia curſu.

PASTOR VIGILANTISſimus Ieſus.

Carmen Tricolon Tetraſtrophon.

COmplura mollis lædere & inſcius
Grex albus olim damna ſubit, niſi
Cuſtodis innixus fideli
Præſidio ſteteritque cura.
Lupis & viſis ille rapacibus
Et certa conſtat præda leonibus,
Tum fraudulentas vulpis arteis
Ac varios metuit colubros.
Prodit ſuo ſe mitis ouis pecus
Candore longè conſpicuum feræ,
Quæ compos haud vitæ rapinæ
Irruit exatiatque ventrem.
Hinc eſt, pauens quòd vel timeat ſonum
Surgentis auræ primaque murmura,
Ramúmve cadenteíſve frondeis,
Vel volucrem ſubitò euolantem.
Vitæ piorum quanta pericula
Hoc imminere in tempore credimus,
Non ſol recenſebit, videt qui
Quæ veniunt violenta teſtis.

Non quàm frequentes inſidiæ ac doli
Furtim latenti conſilio petunt,
Narrare poſſit Nox malum quod
Sentit in innocuos parari.
Inſurgit altè ſæua cupiditas,
Iniurioſus circuit ambitus,
Atque illa nil iuſtis relinqui
Poſcit, at hic nihil eſſe honorum.
Amens Libido ſtultitiæ graui
Correpta morbo, multa quòd appetens
Læſura ſeſe detinetur,
Exagitat bene conſulentem.
Hæc monſtra quondam, cùm dederat nouum
Naſcentis orbis principium Deus,
Nec terra ſenſit, nec oriri
Æthereis potuere in oris.
Non ante mundum: nam ſterilis fuit
Obſcura primùm fæx nihil efficax;
Fœcunda Tellurem polumque
Lux peperit grauidata Verbo.
Quodcunque poſt hoc Terra vel infima,
Suprema vel pars ætheris edidit,
Conſtantis aſpectum decoris
Iudicio superûm probauit.
Quidni probarent? omnia ſiquidem
Vel lucis almæ partus amabilis,
Huius vel inſignes nepotes,
Luminaque & ſoboles ſecunda.
Poſt abſoluti mœnia & ordines
Orbis malignus ſpiritus Angelum
Iam dedignatus ſe miniſtrum
Atque Dei atque hominum vocari:
Hic ſeparatis cum Tenebris malos
Iunxiſſe amores fertur, & artibus
Seſe æmulaturum ſupernis
Pollicitus, noua que editurum.

Complexu ab illo tunc malè fertiles
Partum Tenebræ præproperum dabant,
Gaudentibus mali cateruis
Luciferi ac trepidante turba.
Mens ſuadet iſtis, hunc fore qui patris,
Vel vi dolo vel, mœnia compleat
Inferna,pallenteiſque ſedes,
Mancipiis hominumque turmis.
Commune vtriſque viribus indidit
Nomen paterque & genitrix recens
Nato,neque infanti, at ab ipſis
Principiis nimis inſolenti.
Obſcuritatis mater amans auet
Tali vocari nomine filium;
Conſentit his, agnoſci at ardet
Eſſe ſui hunc Coluber cruoris.
Dicatur ergo CAECVS AMOR SVI
Vtroque notus nomine & omine,
Noſtroque ſurgat regno in arcem,
Atque hominum generi in ruinas.
Hic inſolenti STVLTITIAE additus
Coniux ſorori, protulit impiam
Inceſtuoſi ſorte lecti
Inuidiam Furiaſque triſteis.
Mox denſa tetri progenies aui
Ætate prima conſtitit; ac nouum
Orbem repleuit, quâ recentem
Cumque hominum genus attinebat.
Hanc ille mortis ſacrilegus parens
Turmis duabus multa frequentibus
Partibus inſtruxit,maliſque
Dat totidem ducibus mouendam.
Alter FVRENS VIS vel FERVS IMPETVS,
TERRENA at alter dicta SCIENTIA
Vterque trux, contemptor amens
Cælicolumque hominumque vterque.

Multum prior, ſed ſimpliciùs, nocens,
Humana tantum diripiens ruit,
Inuaſor audax, quiq́ue apertis
Cuncta mouet temeratq́ue bellis:
Mortalibus dum nil patitur fore
Tutum, beatis ciuibus haud valet
Turbare, conatus licebit,
Perpetuò placidam quietem.
Longè ſed alter valdiùs inſolens
Excogitatis gnauiter artibus
Humana, diuina, atque cuncta
Perdere vel minuiſſe tentat.
Namque illa fraudes conſtruit, improbo
Quare ac doloſo conſilio ſtudet
Miſcere cælum terræ, & arceis
Sidereas malus occupare.
Quin ſæpè ſeſe venditat impudens
Regnantis altæ vel ſapientiæ
Prolem, vel in cælo ſedentis
Poſſe Dei variare leges.
O, mentibus quàm ſæpè minoribus
Et veritatis luce carentibus
Perſuaſit iſte & ſe patronum
Proq́ue Deo impoſuit colendum!
Omnes cohorteis huius & illius
Ductoris armis atque ſagacibus
Curis adornatas iubebat
Bella Draco properare iuſtis.
Fruſtra: marini nam ſcopulos priùs
Fluctus mouebunt, flumina & alueis
Aduerſa miremur rotari,
Inq́ue THOHV rediiſſe terras.
Quam pertinacis propoſiti virum
Sacriq́ue verbi ponderibus grauem,
Vel vis vel infernum tenentis
Deiiciat mala fraus tyranni.

Mirum!

Mirum? fauentis dextera quem Dei
Fulcitque Ieſus fortis, & omnium
Qui iam fuerunt, ſunt, eruntque
Optimus haud dubiè magiſter.
Qui paſtor idem peruigil vnicus,
Atque agnus idem ritè placens Patri,
Cognouit expertus, quid olim
Paſtor agat, patiantur agni.

DOCTRINÆ IESV INNOCENTIA & ſecuritas.

Conſcius rectè ſibi, quemque Ieſu
Vox mouens ducit facilem, iuuatque
Illius vitæ ad ſpeculum decentes
Fingere mores:
Hic neque inſtantis metuit tyranni
Dicta, nec vultus nimium minaceis,
Nec pauet quamuis inimica ſurgat
Vndique turba.
Integer mentiſque animique cœptam
It viam, qualis generoſa LEBIS,
Quam latrant circum catuli lupique &
Callida vulpes.
Lædit is nullum propè ſe inſecutum,
Nec laceſſenteis etiam remordet,
Quos aberranteis miſeratus vltrò
Ducit & ægros.
Rectiùs quanto valet is, benigni
Munere erectus Medici, labores
Condolet fratrum magis, alleuatos
Et cupit omneis.
Hos, graui quanquam inuidia maláve
Mente ſe duros fateantur hoſteis,
Ille germanos putat atque eodem
De patre natos.

Ergo nil curans proprij pericli
Damna, ſanandis operam dicabit
Fratribus, linquens ſua facta miti
Votaque Chriſto.
Fama nil mendax, nihil hîc ſuperbæ
Lex valet carnis; vitioſaque olim
Vltio falsò ſibi quæ arrogandos
Poſcit honores.
Non ſuas ducit memor ille parteis,
Viribus ſeſe propriis tueri;
Sed Duci, quaqua vocet, obſecutum
Ritè probari.
Qui nimis quamuis temere furentes
Imperans ventos pelagique fluctus,
Siſtat hos, illos ſiluiſſe iuſſos,
Pacet vtroſque;
Vnico ingenteis recreare verbo
Efficax morbos ope deſtitutos
Quamlibet docti medici leuamen
Spemque negantis:
Dæmonaſque idem malè pertinaces,
Lædere aſſuetum genus, occupata
Cordis humani capitiſque vindex
Pellit ab arce.
Verbere hic inſtans populum frequentem
Atriis ſancti domibuſque templi
Effugat, quando pia cauſſa cæli,
Non ſua, poſcit.
Nullus huic æquè ſapiens, neque ipſe
Dicet huic ſeſe Salomon ſecundum,
Quippe & humani penetrat receſſus
Pectoris imos.
Teſtis eſt grex à populo repoſtus,
Scribaque inflatus, quibus hic maligni
Indicat ſenſus animi ac doloſo
Corde latenteis.

Non-

Nónne de cælis ait hunc adeſſe
Præco Baptiſtes? Deus atque ab alto
Æthere edixit validè placentem
Hunc ſibi natum?
Sic potens, magnus, ſapiens, tamen ſe
Omnium ſeruum gerit, ac modeſti
Integri ac præſtat numeros miniſtri
Semper vbique.
Dum Deo parens placeat per omnem
Sedulus partem obſequij, ſuæ nil
Conſulens famæ, patienter vſque
Seruit agitque.
Seruit ægrotis, varioſque morbos
Commodus curat; capite hic dolenti,
Ille feruenti iecore, hic caduca
Mente laborat.
Dumque opem præſtat bonus innocenti
Et manu & miti placidaque voce,
Suſtinet probrum tacitus furenti
Quodlibet ægro.
Ille curari renuens nefando
Prouocat ſeruum medicumque dicto,
Ac fidem ſanctæ ſtudet eleuare
Nomen & artis.
Publicanorum ſocius, fabrique
Natus, & fabro nihil vſque maior,
Et cibi & vini malè temperato
Perditus vſu
Audit; & quid non ferus inuidentum
Grex mali mendax iaculatur? ipſi,
Ipſi & inſanum perhibent moleſta
Turba propinqui.
Quid, quod inuicto imperio fugatos
Dæmonas quiſquam videt, atque Auerno
Principi diua ob benefacta laudem
Arrogat amens.

Vocibus ſemet quibus ipſe ſurdum
Præbet ac mutum: tamen inter hæc, ſi
Quis mali ſenſu gemuit, paratis
    Auribus audit,
Et celer fert auxilium, & iuuante
Voce ſolamen, penituſque labem
Curat, arenteis reualere & artus
    Membraque præſtat.
Liberè (hoc fidum medicum decet nam)
Cuique vel ſanum ſibi ſe putanti
Indicat morbi in propriis latenteis
    Actubus anſas.
Durius quando ſolito elocutus
Extulit vocem, nihil is minatur,
Sed cauet vitæ, & cupiens remiſſis
    Proſpicit ægris,
Parcere vt curans, ſibi pertimentes
Quærere attentè moneat valendi
Munus oblatum, placidi ac ſalubres
    Temporis horas.
Interim prudens, furioſa quando
Tentat ægrotum rabies, recedit:
Stultus & frendens petit ille inani
    Verbere ventos.

TEMPVS OMNE IESV LAVDIBVS impenſum perpetuò iucundum & gratum fore.

Ad Gabrielem Sayam.

QVæris, carmina condere,
  Dulcis Saya, ſenes num deceat viros?
Et miraris amiculum
  Præcani capitis ac tremulæ propè
Vocis me pueris parem
  Et plectro & teneris ludere verſibus.

Mar-

Marcentem ſenio putas,
  Infantum ſimili pectore redditum
Et componere nænias,
  Et tempus ſtudiis perdere inanibus:
Quondam quem decuit ſatis
  (Inquis) me canere, & præmia carminum
Iuxta fluminis Henari
  Ripas expoſitam poſcere lauream,
Grandæuum potiùs iuuet
  Annis, cura grauem & corporis artubus,
Ac iam proxima funeri
  Diſcinxiſſe nouis tempora frondibus.
QVOD ſi te pudeat tui
  Dilecti vſque Ariæ pluribus antea
Luſtris, nec minùs inſitum
  Internis penitus viſceribus mihi:
Me contrà miſeret, meum
  Sayam ſolicitum viſere adhuc meris
Nugis, continuum quibus
  Vitæ tempus agit, ſcilicet æſtimans,
Seſe voluere compotem
  Summis digna viris magna negotia:
Nempe & rem populi, abditum &
  Regum conſilium, dictaque principum
Facta & noſcere conſcium,
  Et tractare modis omnia grandibus.
VESTRI hæc ſumma videlicet
  Voti, hæc diis ſimilis veſtra beatitas,
Noctu & perpetuum diem
  Incertis hominum fluctibus, & malè
Infidi maris æmulis
  Curas atque animi impendere ſeria:
Quæ & mens & ratio edocet,
  Et Chriſti ſapiens ſummaque veritas,
Magnis ſæpè laboribus
  Frugis particulam vel minimam bonæ,

Vel prorſus nihil edere,
Plerunque agricolas quod perimat ſuos,
Ipſumque intereat ſimul,
Et cogat Nihilum ſurgere multiplex.
Vt ſi quis tenebris velit
Collator tenebras iungere compares.
Quin & fallimur improbi
Nobis, dum propriis credimus artibus
Conſeruanda diutius,
Aut augenda etiam multiplici gradu
Iſtæc plena doloribus,
Iſtæc plena dolis ambiguis bona,
Non vnquam ſibi congrua,
Queis Natura nihil temporis indidit
Certi, quæque hominem ſui
Authorem eſſe negant, ſed ſubeunt Dei
Nutum, ſumma qui & infima
Voluit iudicio fallere neſcio,
Nunc heic, nunc alibi edita,
Et nunc in tenebras iuſſa recedere.
Hæc te vel toties tuis
Explorata oculis, vanaque ſæpius,
Nullis certaque commodis
Expertum ac nebulæ more fluentia,
Semper decipiunt tamen?
Miratumque tenent ſemper & occupant?
Quin tu, quo ſapere autumas,
Senſu, quoque vales actaque publica
Et priuata fidelibus
Rectum conſiliis ducere in ordinem,
Iſtis cum ſociis (quibus
Ætas nempe minor, maior at impetus
Imponit) precor, inſpice,
Noſtrûm ſanus vter ſit magis integræ ac
Compos mentis, vt alteri
Atra bile tumens euacuet caput:

Ante

An te, dum mihi proſpicis,
Vexet ſtultitiæ morbus iniquior
Dignuſque Anticyra intima
Et multi venias hellebori indigens.
Certè, vt me tibi comparo,
Sana mente mihi non videor minùs:
Quamuis (quod fateor libens)
Non vendo ſimilem me ſapientibus.
Sed queis & mage amabilis
Et moroſa minùs ſtultitia imperat.
Num, quæ ſolicitus caues
Intento ſtudio quæque agitas vigil,
Quæ ſecretus & abditus
Committis tabulis & calamo notas
Semper triſtis & horridus
Et qui ſæpè tibi tædia concites,
Hæc noſtræ citharæ ac lyræ
Præferre ac leuibus verſibus audeas?
Queis non Belgica prælia,
Queis non bella, quibus Gallia funditus
Seſe perdere mutuis
Armis tendit adhuc viſque domeſtica;
Non quas alba Britannia
Naueis Oceanum mittit ad vltimum,
Prædæ ponderibus graueis
Sæpè impunè domum docta reducere.
Non hæc dicere nos iuuat,
Nec noſtri iubet hoc nos animi furor:
Sed, cui ponere nil queas
Et ſcitu pariter laude & aſſidua
Dignum, quidquid habet Polus,
Quidquid Terra boni poſſidet infima,
Vnius meditor diu
Nomen Nazaridæ laudibus optimis
Maius carmine & omnium
Vatum, qui fuerant, ſunt, & erunt pij:

Quod

Quod quanto canitur magis
  Et ſurgit celebre, hoc dulcius inſonat,
Et ſeſe vlterius docet
  Dignum carminibus fine carentibus:
Siue hoc magnus agat quidem
  Vates quiſque potens ardua dicere,
Seu quiſquam per humum meæ
  Voci perſimilis repſerit occinens.
ERGO vt te â teneris amo
  Annis, Saya, mihi nil cupiens priùs
Mentis fortis & vndique
  Felicis, moneo & me ſocium offero,
Iſtas deſine, deſine
  Nugas, quoque vales ingenio redi,
Ac dulces citharæ modos,
  Quanquam, diſce, ſenex: Nulla, volentibus,
Ætas, diſcere quod decet,
  Importuna piis ſeráve creditur:
Quoque ambo pariter ſono
  Concordique lyra, Saya, valebimus,
Me quanquam ſtrepere anſerem
  Contingat, melius te canere & cygnis:
Hanc vocem dare, quem canes,
  Æqualemque choros Angelicos poteſt.
Terræ poſthabitis veni
  Curis & ſtudiis nulla valentibus,
Vitæ, quæ ſupereſt, breui
  Aut vitare mala, aut addere gaudia.
Abſint mœſtitia & metus
  Hinc; luctus, lachrymæ, vos procul ibitis:
Affert nam ſenium ſatis,
  Æqua mente ferat quod patientia.
Me poſthac iuuet ac meum
  Sayam cumque gregis lanigeri choris
Et cum virginibus ſacris
  Tempus perpetuis ponere cantibus

Diuo

Diuo Nazaridæ, Deus
Quem natum proprium, quem ſibi & vnicè
Dilectum vocat, & probis
Doctrinæque auidis Pontificem dedit.
Hunc & nocte canentibus
Nobis, huncque die veſperis ad iubar,
Quæ confert requiem piis,
Cùm, ſuprema, volet, tunc veniat dies.

AD IESVM NAZARENVM SALVtatio, & acclamatio.

SVmmis Nazarides orte parentibus
Nam viuente Deo matreque Virgine
Dictat certa fides credere editum extremi
tempore ſeculi.
Æternus fueras cum Patre Filius, *Filius Dei.*
Cùm nondum in numerum defluerent dies,
Sed non corpus erat, non animus tibi,
Quæ nunc dictus homo tenes.
Nobis maior eras, maior & Angelis *Angelis maior.*
Quantum fine carens præſtat & eminet
Queis natura modum prouida, queis dedit
Certis ordinibus gradum.
Pòſt, cum conſiliis & Patris & tuis
Et menti placuit Spiritus illius,
Qui numen, licet eſt tertius, eſt idem
Tu nobis ſimilis venis.
Idem tuque Deus magnus vt antea *Caro.*
In cæloque manens, natus in infimis
Terris ipſe Deus dicier integer *Deus.*
Gaudes, integer atque homo. *Homo.*
Nam quis terrigenum te celebret Deum?
Quem dignè haud valeant dicere Spiritus,
Supremi fuerint quamlibet ordinis,
Artis primitiæ iſtius.

Mortalis ſed enim nemo ſatis queat *Vnicè di-*
Te noſtrũ genus ac ſcribere ſanguinẽ, *lectus:*
Cùm ſis vnus homo, quem Deus vnicè
Carum ducit & agnitum.
Quid nos ingenio tam ſterili, & nimis
Deducto ac tenui carmine poſſumus
Iſtis exiguę ponere laudibus
Vocis & ſtrepitu lyræ?
At ſi te ſileam ſic mihi conſcius
Quem iam, quídve ſenex, quod deceat canam?
In cuius variis vna laboribus
Solamen cythara extitit.
Certè vt nulla recens materies modis
Sit credenda meis hæc referam tamen,
Quæ iam dicta aliis cogito dum memor
Curæ & mœſtitiæ cadunt.
Hinc primùm celebrans incipiam, grauis
Error principio me rapit, vt putem,
Primum poſſe aliquid dicere & vltimum,
De te ſcribere qui paret.
Ergo vt meminero, quæ mihi qualibet
Succurrent ſerie, dum gradior viam,
Cantando recolam, Regia Principũ *Regum pro-*
Sanctorum ſoboles aue. *genies.*
Nam te perpetuis Iuda recognitum *Iudæ ex*
Inſcribit tabulis: hac genus indicant *tribu.*
A primis proauis quos hominũ ſator *Adami*
Pingui ex puluere finxerat. *filius.*
Et magnum populis inde fidelibus *Abrahami*
Exemplum Saraes vir reuerentibus
Gratus principibus, notus & hoſtium
Terror, te ſibi præſcius.
Arcanis tenuit pollicitus fore *Semen pro-*
Diuino & genitum munere filium *miſſum.*
Felicem variis gentibus vndique *Gentium*
Cæli templa quot ambiunt. *benedictio.*

Quin & veridicis carminibus potens
Quæ ſunt, quæ fuerant, tradere, nec minùs
Quæ ventura forent Ieſiades, ſuum *Dauid*
Natum præcinuit Dauid. *filius.*
Regnantum ille quidem conſtitit optimus
Ornatuſque Deo, & multiplicem iſtius
Quem tu verus agis, geſſit imaginem
Paſtor, ſed tamen haud parem.
Regem te genitum prædocuit polo *à Magis*
Viſa ſtella viris, quos ſapientiæ *rex præ-*
Exornat titulus: te ergo quis ambigat *dicatus.*
Summum dicere Principem?
At quàm ſanctum hominem te venerarier *à Ioanne*
Sit fas, ille etiam ſenſit, in alueo *ſanctus*
Iordanis qui homines quotquot eũt, volẽs *cognitus*
Vnum te excipiens lauat.
Hic quanquam celebris nomine Gratiæ
Longè, faſſus ait, ſe tibi vt imparem *Ioanne*
Debere ad genitæ, cedere, vt abluas *maior.*
Quidquid ſordis inhæſerat.
Templi magnificis molibus altior *Templo*
Extas, atque Dei multa capacior, *auguſtior.*
Vnum te ipſe ſuam lætitiam Parens *Patri gra-*
Natum cùm vocat aſſerit. *tiſſimus.*
Ille iſtis manibus tradita prædicat *Præceptor*
Diſpenſanda tuis nutibus omnia, *declaratus*
Quæ donare potes, queis labor atque onus
Peccati requiem negant. *Quietis*
His præbes requiem, veraque gaudia: *promiſſor*
Nam puri miſeris author es otij
Quæ non ipſe dicas ſabbatha, ſunt onus,
Ægypti ac labor improbus.
Tu cunctis etiam vatibus anteis
Quotquot priſca pios ſecula viderant:
Vatum de numero nemo fuit, tibi
Se qui non ſua & arroget.

R. Moſes

Moſes qui fuerat viſus idoneus
Signis Iſraeli teſqua per arida
Ducendo ipſe pedum & cum grege philiſtiſam
Defert huic Domino, vt minor.
Fidum ſe famulum qui dederat prius
Expectare iubens te melioribus
Cuſtodem ac Dominum legitimum artibus
Maiori pecori ac ducem.
Illi cauſa breuis contigit Iſraël,
Biſſena Iſacidæ progenies viri.
Cunctis læta fore vt paſcua conſulas
Et communia gentibus.
Felix tu pecori pabula quærere
In ſuſpecta; mali & libera graminis:
Felix præcipui ſeminis agnitor
Quod fundo in proprio feras.
Te cultor pater vt propriam fouet
Vitem, quique tuis pampinis inſitus
Succis legitimè creſcit, agricolam
Et fructu & foliis iuuat.
Qui terram variis induit ac nouis
Ramis & folio & frondibus arborum
Vnam fructiferam cætera vincere
Certam ligna ſacrauerat.
Cuius & medico præſidio, breuis
Quæ nunc vita hominum, non numerabiles
Produxiſſe dies incolumes poteſt *Vita.*
Leti intactaque morſibus.
Magna & multa, ſibi dum malè conſulunt
Mortales, adimunt commoda, & illius
Ligni ſubſidio ſe procul amouent
Excluſos aditu & via.
Nunc quam priſca diu ſecla negauerant *Lux*
Vltro vita hominum luxque volens adeſt,
Queis ſeſe ipſa probans viuere, fas, ait,
Fas eſt viuere, viuite.

Ac neſcire viam nemo negotio *Via.*
Apponat, docilis dum modo te ducem
Téve vltro expoſitam dum teneat viam
Voto non erit irrito.
Demum, quidquid erat pollicitus poli
Rector, diuitias regnáque lucida,
Tu præſtas, ideo ſolus & efficax
Summa & dicere veritas.
Et regni ipſe IESVS nuncius aduenit
Magni & polliciti denique Pontifex;
Vt quas diuitias cum Patre poſſidet,
Fratres diuidat in ſuos.
Seruis, non placidum qui fuerant pecus
Nec ſeruire valens ipſe vicarium
Se dat; quiq́ue operas aſſiduas vetans
Scripta ergaſtula deleat.
Magno ſponte Patri ſe famulum dedit,
Idemq́ue vltro hominis filius audiit;
Nempe hac arte Deo reddere filium
Adami è famulo parat.
Quis turbæ per agros eſurientium
Tam larga ſubitò fercula ſufficit?
Vt iſtis meritò de manibus queam
Natam dicere copiam.
Hic commiſſa ſcelus quæ hîc hominum luit
Inſons ipſe tamen purus & innocens
Has vltro ipſe volens & bonus excipit
Parteis, fortis vt expiet,
Sic vt ante ſuo numine comparem
Æternum Pater hunc ſummus amauerat,
Nunc & iure ſua pro reuerentia
Gratum diligit hunc virum.
O lumen, decus, ô te excipientium
Opportuna quibus commoda proſpicis
Hoc inſtante ubi quamlibet aſpero
Vitæ diligis exitu.

Tantis totque diu cognite munerum
Signis atque opibus qui Domini refers
Auctor nomen, opes, pacificam & vicem.
Felix, fauſte & ades precor.

PRIORVM IESV PARTIVM perſolutio.

Carmen Dicolon Diſtrophon.

IAm te doctorem veri, ſummique decoris
Præſentem ſpectare magiſtrum
Fas fuit Iſacidum genti, fas dicta probantem
Diuinis cæleſtia ſignis
Qualia non priſci viderunt tempore ſecli.
Qui primi vixere parentes,
Sed neque poſteritas horum quoque talia vates.
Facta ſibi dictatáve monſtrent.
Omnia te officio verbi ac virtutis IESV,
Qui ſapiunt, ſuperaſſe fatentur.
Quid ſupereſt quod agas? ediſſere num bonus, atqui
Te nullis cognouimus horis
Marcentem, nullis otium quæſiſſe diebus,
Aut finem requiémve laborum.
Anne inſueta priùs te iam noua cura fatigat,
An vetus attentum vrgeat, ede,
Certè ſolicitum & ſatagentem credere greſſus
Commonſtrat properantior iſte.
Num Solymos, via quò ducit, contendis? & illos
Nunc populos proceresque reuiſis,
Queis bonus & felix veniens, & commodus vltro
Indignè es perſæpe repulſus?
Nuper & vt repeto, ſaxis te lædere certos
Et promptos tamen improba luſit
Inuidia & mala mens; cæcos qui auidoſque nocendi
Dum patiens æquuſque relinquis.

Nempe

Nempe Patris mandata Dei grauioraque cunctis
Momentis terræque hominumque
Solicitum exercent ſemper, nullamque paratum
Obſequij dimittere partem.

SALVTIS PVB. INITIANDÆ ſacroſanctum myſterium.

Carmen Sapphicum.

NVper hic magni Patris & ſuperni
Conſiij interpres datus ac fidelis
Nuntius iuſto proprias peregit
Munere parteis.
Iam nouum præſens opus inchoare
Geſtiens, duro parat ex tyranno
Liberos primi ſobolem parentis
Siſtere fratres.
Namque mortaleis grauibus catenis
Heu nimis vinctos miſeratus vltro
Semper ingrata aſſidui laboris
Reddere penſa.
Ergo quas olim bonus expetiuit
Gentis humanæ ſibi copulandæ
Nuptiàs, ritu peragit latente
Legitimoque.
Se priùs ſponſæ dedit, hanc ſuique
Spiritus putæ facit atque carnis
Eſſe conſortem, proprioque eandem
Sanguine potat.
Sanguini ac viuos laticis liquores
Quos tenet, iungit, ſatiare ſanguis
Hanc poteſt, ſordeis aqua perualebat
Viua lauare.
Rurſus & ſponſæ capit ipſe qualem
Comperit carnem, bibit & cruorem:

Myſtico quæ ſunt calicis peracta &
Munere panis.
Vnius leges ineunt vterque
Corporis, iam res eademque, idem ius
Surgit amborum, ſimul vt iungantur
Dona doteſque.
Alter æterni tulit ex parentis
Regia vitam, ſolidique amoris
Numen, & pacem, & placidam quietem
Lætitiamque.
Altera crimen, ſcelus è lutoſis
Traxit Adami domibus nefaſque,
Traxit ærumnas, miſeræ ac dolorem
Damnaque mortis.
Hæc amans nuptæ ſapiente coniux
Corde ſuſcepit, medicaque ſolus
Arte qua pollet, reparare ſolus
Fortis adornat.

AGONIS CHRISTI INITIATIO.

Carmen Dicolon Tetraſtrophon.

TVrba & vulgus iners cedite, cedite,
Mundanæ proceres & ſapientiæ
Hinc vos eſte procul, myſtica dum ſacri
Vates carmina dicimus.
Cœnoſis ſuibus gemma nitet nihil,
Sed calcata iacet: liba cani dare,
Aut deuota ſacris quæ fuerint focis,
Vt mox euomat hæc, nefas.
Hæc nunc exiguo nos canimus gregi,
Quos nec fert tumidos multa ſcientia,
Innati ſceleris quos mage conſcios
Vitæ & pœnitet improbæ,
Hos ad ſacra voco, ſic voluit Pater

Qui depreſſa leuans ardua deprimit,
Regalique apicem vertice detrahens
Transfert pauperis in caput.
Dura vt cuncta vide, vt pinguia corripit
Ignis ardor auens, tendit & vrere,
Conſumit quæ potens linquere inutilis
Tantum quos repulit ſaleis.
Vnum aſt ignis edax vincere non valet
Aurum: namque parens eſſe potentius
Natura hoc voluit ferre, quæ feruidos
Flammarum dedit impetus.
Exercere poteſt cedere neſcium
Aurum flamma vorax, quod magis integrum
Miratur ſubitis vſque laboribus
Extare, & nitidum magis.
Si ramenta grauis ſulfuris, horridi &
Æris mixta bonus iunxerit artifex
Cum puro & ſolido, quod placidus creat,
Auro, ſolque volens fouet;
Illo quidquid ineſt corpore ſordium,
Quod metalla ſui muneris aſſerunt,
Exuſtum penitus perdit edax focus,
Auro nil tamen eripit.
Tum quæ iuncta priùs ferbuerant ſimul
Æris membra ſuis viribus efficax
Incrementa ſui lucida corporis
Mutata artifici refert.
Auctis ponderibus ditior aurifex
Gaudet, conſilij compos & optimi,
Victricemque ſui dein patientiam
Auri prædicat & canit.
Sic gens fœda hominum, ſic vitiis ſcatens
Deteſtanda Deo corruerat, niſi
Verbum cuncta Patris cuius erant opus,
Mortalis fieret caro.
Nam qui magna poteſt iungere paruulis,

Hunc noſtri generis participem dedit
Humani & voluit ſiſtere ſanguinis
Expertem vitij tamen.
Cuius lux tenebras reddere lucidas,
In lucemque valet quod fuerat nihil
Proferre, atque ſuæ terrigenas poteſt
Vitæ effingere compotes.
Ille vt vera fuit vita carens malis,
Mortis perpetuæ ſordibus improbæ
Se carni atque ſuæ conſociat decus
Carnis diuaque munera.
Inde in ſe ſocios ſuſcipit & ſibi
Conuinctos ſeſe ac deuouet ignibus
Certus atque bonus pura reponere
Quæ iam ſordida ſuſcipit.
Quare & multiplici pondere criminum
Et culpis hominum preſſior incipit
Tædere, ac teneris contremit artubus
Culpæ conſcius haud ſuæ.
An non æthereum corripiat tremor
Orbem, pondus vbi ſuſtineat graueis
Terræ, cumque ſuis ſuſcipiat polus
Vna voluere curſibus.
Ergo hic in faciem quod cubat & gemit,
Quod ſudore IESVS ſanguineo madet,
Quod clamans precibus ſolicitat pius
Æternumque rogat Patrem,
Vrentis fuerint principia arbitror
Flammæ, quæ penetrans viſcera in intima,
Humani quod erit ſordidi & aſperi
Extinctum in cineres dabit.
Hæc nunc lucta prior, tentat auens ſacrum
Aurum mors rapidis vrere motibus,
Inuaditque ferox & properat minax
Viciſſe, vt ſolet antea.
Fruſtra: namque ſibi vita aliam inuenit

Mor-

Mortem, quæ indomitos opprimat impetus
Mortis, quæ fuerat imperio prior
Regnum & tenuerat diu.
Verbi iuncta ſacris artubus ac diæ
Carni poſterior mors ſuperat malæ
Mortis prævalidum robur, & inuido
Victrix de ſolio eiicit.

AGNVS EXPIATOR CAPTVS, vinctus, ductus.

Carmen Dicolon Diſtrophon.

QVi ſe negare nemini mortalium,
Fugiſſe qui nullum ſolet,
Petentibus qui ſe libenter indicat,
Fert ipſe & vltro commodum.
Qui deuiantes ſponte quærens excipit,
Longeque palantes vocat;
Nec tam benignus ſe dat æthere aureus
Sol, improbis olim & probis
Quàm templa perfrequentia atque perfora
Ac denſa per gymnaſia
Planè tenendum planeque dat ſe bonum
Multis modis & vtilem.
Hic Galilæus natus in præſidium
Leuamen ac dolentium.
Qui cæca præſens integrare lumina,
Et crura claudis reddere,
Senſumque ſurdis innouare in auribus
Mutis & eloqui dare,
Qui mortuorum membra extincta viſitur
Vitæ reponere efficax,
Hunc, hunc ligandum quæritis cur improba
Vos turba ſerui cumque heris?
Quo vel retorto fune vinctum brachia
Et reſte collum ducitis?

Quid fecit aut commiſit hic in vos graueis
Veſtroſque forſan principes?
Num vera quòd dicendo monſtrauit bona,
Multum remotum & his malum?
Quòd deuiatos turpibus fallaciis
Erroris hic redarguit?
Demum ſalutis quòd docet certam viam
Mentiſque morbos indicat?
Inſana morbos quos amare induſtria
Non paſſa curari ſolet,
Docti & magiſtris inuidere conſili,
Aſſueta prauis artibus.
Sic eſt, vbique ſemper Agnus hic adeſt,
Hic mundus ex quo conſtitit,
Multis at idem dura plura perpeti
Tormenta prauè cogitur.
Beatus, hunc non alligatum qui trahit,
Sed liberum qui ſuſcipit.

DE IESV FLAGELLIS CÆSO.

Carmen Iambicum.

IAm iam flagellis verberare carnifex
Vel parce laſſus membra candido ebore
Lucis quæ primæ puriora ſidere,
Quæ vel remota veſte maius indicant
Latere noſtra ſenſuum quiddam vice
Illis ſacrum numen ineſſe & artubus,
Primùm vereri quos vbi nudaueras.
Te oportuiſſet integræ mentis modo,
Humi iacente atque adorare pectore,
Exoſculatum diua atque veſtigia,
Subſtracta queis tumentis vnda marmoris
Sacro terentis gaudet attingi gradu,
Lupo, leone, & vrſo te magis ferum

Hunc innocentem cedere haud pudet tamen,
Plagis pigétve tot cruentis vrere,
Sudore multo dum ſeris licet madens
Mutare fracti faſcis haud ceſſas ferox
Virgas retorto fune rigido ac nimis.
Quid iſte, quem ſic afficis crudelibus
Dignum flagellis edidítve criminis?
Prauíve quid nam protulit eloquij?
Quos nam tumultus lege dignos vindice
Commouit author, fouit aut latentibus
Diſſimulator vt ſolet vafer dolis,
Flagris quód iſtis arbiter coërceat?
Suſpecta quando turbæ culpa poſtulat.
Prætore veſtro audire nempe Pontio
Vel criminator iuſſus eſt nil improbæ
Cauſæ immerentem conſtitiſſe in hunc virum,
Hoc te vel auocare prorſus debuit
A verberandi iniurioſo munere
Mercede quamlibet rogatum diuite,
Nedum nihil quod inde mercedis capis,
Immitis vltra verberantis impiam
Incontinentis & malæ manus notam
Iſtum relinquas, ſi ſapis, tortor bonum,
Mitem, modeſtum, pluraque & certum pati.
Durum loqui quicquam tibi vel aſperum,
Quin me vel ipſum te vel imò ambos quate,
Ambos feri, me teque, nam commiſimus
Immane crimen noſmet inque principem
Cæli Deumque, remque ſacram publicam.
Nos orbis omnis ordines turbauimus,
Terræque cælos improbi ſubiecimus,
Concinnoque antè curſibus in ſidera
Nos fluctuoſum miſimus praui mare,
Plectuntur ergo terga, quæ forent niſi,
Et ſumma cuncta mundi & ima protinus
In nil redacta corruiſſent funditus.

Nam

Nam ſi quid vſquam partium mundi manet,
Quod cedis iſtud forte & iſtud optimum
Volens & vltro ſuſtinens fulcit caput,
Et cuncta tendit innouare perdita.

IN CHRISTVM PRODVCTVM.

Carmen Dicolon Tetraſtrophon.

Triſtem per plateas, compita per, foraque,
Et matrum gemitum & ſentio virginum,
Ac ſuſpiria mœſti
Lamenti audio nuntia.
Confuſi ac varij iudicij indices
Rumores populus (ſic ſolet) excitat,
Illos acta probanteis
Iſti, cernis, vt improbent?
Exultant proceres & procerum aſſeclæ,
Et quoſcunque iuuat fama ſuperbior,
Vt duris equa frenis
Arcto & carcere libera.
Rurſus mite pecus, grexque modeſtior,
Gens proba ac placidi conſilij potens,
Humanique laboris
Certè conſcia pars gemit.
Doctrinæ ſolidæ commoda mentibus
Diſcendi cupidis eripi vt hi dolent?
Solamenque malorum
Hi deſideriis petunt.
Hæc dum turba oculos attonitos tenet,
Et rumor pauidis inſtrepit auribus,
Vatis diſcere auentis
Cauſam ſoliciti ac nimis
Inter ſæua tubæ & murmura cornuum
Præconiſque graui voce notabilis
Vinctus prodis IESV
Duri iudicis è domo.

Et quæ

Et quæ tanta mali ſtultitia arbitri,
Immunem penitus qui modò dixerat
Supremo è ſolij loco
Te nunc ſupplicio arrogat?
An quòd perpetuò cuncta ſilentio
Ni per falſa notas crimina, quæ inuidus
Obiecit tibi fictis
Delator malè fraudibus?
An quod præcipitis cæcus & inſolens
Iudex inuidiæ terribili metu.
Inuiſus te inimicis
Per ſcelus dedit & nefas?
Quis tam ſtricta ligat brachia funibus,
Certam quæ miſeris ferre ſolent opem,
Et iam corpora functa
Vitæ reddere, ab inferis?
Et quis nam impoſiti pondere tam graui
Ligni iſtis humeris faber iniquior,
Crudeli ne fuit fas
Te infamique mori cruce?
Mens iam noſtra ſacro prædita lumine, &
Quid priſca vmbra velit cernere doctior,
Hæc ſpectacula magno
Noſcit conſilio edita.
Miratum ante tuam me patientiam
Inuictam innumeris ſæpe periculis
Ad mortem ſupereſſe
Moſes admonuit pius.
Hic eſt ille, tibi noſtra volumina
Quem multis celebrem ritibus ac modis
Viuum ſiſtere ad aras
Mactarique iubent caprum.
Idemque ille caper qui ſubit omnium
Et noxas hominum, & triſtia debita,
Deuotumque piando
Præbet pro populo caput.

Ergo

Ergo ignominias, opprobrium & graue
Quondam ſacrilegi & perpetuò improbi
Totius generis fert
Humani hic caper vt luat.
Vltra caſtra procul promeritas malè
Priuati ſceleris quæ & malè publici
Aſportare iubetur
Iram ſupplicij & vices.
Hic dum miſſus abit per loca deuia,
Qua mortalis iter nemo valens terit
Ventis irrita noſtra
Vnus crimina diuidet.
Idemque alterius (namque agit omnium
Sacrorum ſolidas vnicus efficax
Parteis) myſtica cæſi
Hirci munera perficit.
Cuius caro tuis criminibus rea
Et noſtri vitio ſanguinis omnium
(Sic nil ipſe nocens vult)
Aras imbuet vltimas.
Humanæ impoſitam gentis imaginem
Vrendam tacitis ſuſtinet ignibus
Hæc, dumque ardet & idem
Priſcos in cineres ibit.
Ardebit penitus, ſe & poterit ſua
Virtute & validum ſiſtere & integrum,
Nec, quæ labe carebat,
Carnem flamma vorax teret.
Olim nec patitur ſancta religio
Communem hãc breuibus arcta & in oppidis
Intra mœnia & vri
Terris quæ litat omnibus.
Quare inſtructa grauis pondera nunc gerit
Ligni quo impoſitus flagret & ardeat,
Flammiſque integer ipſe
Ardens expiat omnia.

Ergo

Ergo mœſtus agat nos meritos dolor,
Quorum noxa fuit quod velit hic pati,
Auctoremque ſalutis
Grata hunc mens canat vnicum.

IESVS CHRISTVS IN CRVce ſalùs pub.

Carmen Tricolon Tetraſtrophon.

QVicunque ſæuum viſceribus malum
Cæco latens & pectore peſtilens
Draconis antiqui venenum
Hactenus indomitum gemebas,
Et quiſquis artus membraque ſaucius
Doles vagus dum per loca deuia
Repentè adorti dentis atros
Et varios pateris colubros,
Pendentis alti de ſtipitis cruce
Ferroque fixi ſuſpice, ſuſpice
Serpentis & corpus cruentum,
Vulneribus caput & notatum.
Miſertus vnum nam voluit Deus
Languentis olim non medicabiles
Humi reperta ab arte morbos
Præſidium hoc ſupereſſe gentis.
Eſt carne in illa, quamlibet horridam
Nunc intueris, vulneribus virus
Sæuum exprimendi potens vis
Et penitus ſibi combibendi.
Illo latet qui in corpore ſpiritus,
Humana ſeſe in membra poteſt dare,
In his & extinxiſſe letum,
Et propriam renouare vitam.
Mortale quidquid prouenit omnium
Mortalium de ſanguine, protinus

Iſtius

Iſtius olim deſtinata
Morte ſacri colubri interibit.
Squamoſa quæ nunc terga vides tuæ
Horrent vetuſta pellis imagine,
Exutus hac, me teque ſecum
Reſtituens nouus enitebit.
Cur hunc rubente (diſcere fas mihi)
Deus metallo conſtitui iubet?
Quò l pluribus plagis feritas
Firmior vtiliorque conſtet.
Altam vides nunc ſuſpicit vt polum,
Pulſatque acuto ſidera ſibilo,
Vt quoque ſublimis iacentem
Conſpicit exequiturque terram?
Vtrunque tendit & fouet & valet
Telluris imos ætherei, & editos
Terris poli adiunxiſſe muros,
Perpetuam & ſociare in vrbem,
Primam ruinam tempore quo draco
Cementa mundi prodiderat ferox;
Sic ſarciendum fortis orbem
Vnicus hic tulerat redemptor.

DE IESV CORPORIS IN MO- numento depoſitione.

NOn dicta priſcis prælia vatibus,
Maiuſque cunctis hiſtoriis decus,
Anguſtioribus lyræ fas
Dicere carminibus Poëtæ.
Cæleſtium quæ ſpirituum chori
Maiora ſenſu vocibus ac ſuis
Certè fatentur: ſed ſilere
Quis poterit, meminiſſe iuſſus?
Sortiti vt olim quis valet ingenI
Virtute, debet reddere, quas bonum
Laudes

Laudes Dei nomen repoſcit
Omnibus ordinibus benigni.
Celata IESV Nazaridæ diu,
Vis (nemini vſquam terrigenum grauis)
Exempla diuini domandis
Roboris exhibuit tyrannis.
Nuper docendi ad munera creditus
Natus magiſter, frangere arundinem
Fumantis aut ligni moleſtam ex-
ſtinguere particulam negator.
Nunc orbis hoſteis, quotquot erant, trium
Inſcripta turma in nominibus ducum
Vnius exemplo duelli
Strauit humi domuitque victor.
Satan, & atrox Mors, ſcelus & malum
Diuina quondam regna reſcindere
Iuraſſe coniunctis feruntur
Viribus, auxilioque firmo.
Seducta portas femina prodidit,
Illa & maritum miſcuit in dolos,
Qua fraude gaudentes in arcem
Nil piguit penetrare mundi.
Munita multis artibus vndique
Iniurioſæ caſtra tyrannidis
Mortalis haud vllam putabant
Poſſe manum reſerare fortem.
Opes & artes & ſapientia
Faſtuſque mundi, cunctaque publico
Parteis ſequebantur ſuperbi
Principis atque erebo imperantis:
At vita, puro in lumine cui manet
Æterna ſedes, ſummaque conſilI
Conſtat facultas, quàm tenebræ
Cernere non valuere acutæ.
Demiſſa magni de ſolio Patris
Mortalium ſe veſtiit artubus

Natumque vt amborum parentum
Atque Dei atque hominis refert ſe.
Formam priorem ſub teneræ occulit
Carnis velato tegmine, quod labor
Tentare poſſit, mors quod intra
Septa ſui putet eſſe iuris.
Intaminata ſe patientia
Exornat armis vincere idoneis:
Normamque pugnandi à paterno
Conſilio obſequioque diſcit.
Sic in theatrum ſe dedit infimi
Mundi, cateruam & prouocat hoſtium,
Spectante multorum frequente
Spirituum atque hominum corona.
Illum doloſa primus imagine
Satan ſemel, bis, terrùm & impetit.
Sed victus expulſuſque campo
Inſidias parat expedire.
Mirè apparatis quem rationibus
Nec ſanctitatis vincere nomine
In crimen, orbis pollicendis
Nec valuit pepuliſſe regnis.
Tandemque mortis non ſuperabilem
Primi parentis prolibus antea
Deliberati vim doloſus
Excitat in caput immerentis.
Hæc in ferendo ſupplicio & aſperis
Exercitati membra doloribus
Viciſſe credens, victa demum
Concidit, euanuitque in orcum.
Nam vulnerati ſaucia dum vorat
Membra innocentis ſanguine plurimo
Perfuſa, perſenſit viri ſe
Illius interitu interire.
Nam vita, letum perdere quæ valet,
Illiſa latebat viuida in artubus:
Morti-

Mortique, viuentum cruor qui eſt
Certa ſalus, fuit in venenum.
Huius peractis functa laboribus
Nunc dum ſinuntur membra quieſcere.
Clauſi ſub vmbra ſaxi, ad imas
Spiritus ingreditur latebras,
Suoſque ſanctos quotquot ad inferos
Suprema tractus prætulerat dies,
Victor liberatos recenſens
Ordinat in ſeriem triumphi.

DE IESV CHRISTO EX MORtuis exſtante.

Carmen Sapphicum.

NVllius quondam memoratur æui
Purus æquè ſol nituiſſe in annis
A die primùm peragrati in amplo
Æthere curſus.
Aut nouum ſe nunc proprio dat axi,
Orbis aut ſignum renouati præfert:
Certè id eſt: author ſuus atque mundi
Nunc noua præſtat.
Lumen auroræ priùs vſque noto
Tempore affulgens hodie videbant
Monte de ſummo vigileſque, mente ac
Simplice teſtes.
Efficax vitæ ſolidæ ac ſalutis
Prædicant cæli micuiſſe lumen,
Quale & excelſis animis ſuperna
Fulget in vrbe.
Ergo iam terræ copulantur imæ
Iura ſupremi ſociata regni,
Noſtri & in cælos generis colonos
Ducere iam fas.

Filius magni facit hoc parentis,
Et potens quidquid placuit, ſecundo
Ponere euentu, & malè fauſta ab orbe
Pellere fortis.
Illius primum variata dicto
Conſtitit mundi ſpecioſa moles,
Spiritus, ſtellæ, decus atque glebæ
Sponte virentis.
Vnda & incertos numeros natantum
Vnico effudit grauidata partu:
Fertilis tellus triplici remittit
Prole animanteis.
Sanctiuſque iſtis opus atque diuæ
Mentis affinem ſpeciem creator
Edidit certo ſtudio, ſibi quam
Dedicat vni.
Hanc dolo ſed mors, comiteſque mortis,
Impium crimen, ſcelus & ſuperbum
Vitæ ab authore, heu, pepulere cæci in
Carceris antrum.
Mille plus luſtris doluiſſe mœſti
Conſtat Adami ſobolem ferocis
Vinculis regis nimis obligatam
Seruitioque.
Heu quibus, quantis operis grauique
Pondere ingratæ miſeræque vitæ
Indigens ſomni breuis & quietis
Tempora traxit!
Poſt vbi ærumnæ ſatis ac laborum
Viſa iam mundi ſubiiſſe ſecla
(Vt Patri, vt Nato placuit, benigno
Spirituique)
Lumen æternæ regionis alto ex
Æthere in terram veniens profundas
Intrat immune tenebras, opaco &
Per loca tranſit.

Altero denſam referente nubem,
Altero lucem latere in rotundæ
Inſtar exſurgit validumq́ue vtraque
Parte columnæ.
Publicos hoſteis populumq́ue amicum
Vnico amplexus capit hos & illos
Corporis nexu, variata & ambos
Sorte reponit.
Dum per irrupti pelagi fluenteis
Sanguinis vndas penetrat, malignam
Obruit Chami ſobolem, tyrannum
Perdit & ipſum.
Quotquot at voto ſtudio ac fideli
Lucidam fortes tenuere partem,
Littus ad vitæ validos tulit trans
Incolumeſq́ue.
Hoſtium nunc poſt ſpoliata regna,
Lumen effulget, nihil id ſuæq́ue
Lucis in denſis tenebris remiſit
Mortis & vmbra.
Iam mihi non ſint metuenda leti
Vincla, non cæcæ fera monſtra noctis,
Dum bene & fido bene & obſequenti
Tutor adeſt hic.
Victor intactis hodie ſepulchri
Qui micat ſignis, miſero & negatas
Antè mortali reſerat potenti
Numine portas,
Sternitur iam nunc ſuperum in remotas
Ciuium ſedeis via ſacra puro
Lucidi ac firmi lapidis colore
Multipliciq́ue.
Rumor eſt, illic plateas per omneis
Aureum velum, niueamq́ue veſtem
Ritè feſtiuo & pretioſa cultu
Cuncta nitere.

Arcubus, ſignis, vario ac tropæo
Compita ornantur, fora, templa, vici,
Quaque Dux parti ſtatuit triumphi
Ducere pompam.

Hæc ſemel cælo ſita, crede nunquam
Inuidum lædet monumenta tempus,
Cui neque in regnum eſt aditus supernum,
Iura neque vlla.

Ter quater ſunt hi ſolidum beati
Queis triumphantem bene proſecutis
Læti & admiſſis licet apparatus
Cernere feſtos.

Illius quos ſpes fouet obtinendi
Muneris, nunc dum breuis hæc moratur
Vita, conceptis minus, ô minus nil
Iungite votis.

Interim cantuque choriſque læti,
Queis tamen & mens volet vltra in altos
Siderum tractus, celebremus almum
Nomen IESV.

LIBERTATIS VERÆ INSTAVratæ gratulatio. *Exod. 15.*

HOſtibus ereptos, queis tot per ſecula noſtrum
Seruierat genus ingrato aſſiduoque labore
Colla humeroſque terens laſſum mercedis & expes
Ac pauido ſemper ſenſu & peiora timente
(Nulla quies operum penſis & nulla dolorum
Hora immunis erat, rigidi aut ſecura flagelli)
Iam renouata iuuat felicis munera vitæ
Tempus & ingenuę ſortis repetitaque lucri
Commoda ſolenni memores alacreſque referre
Carmine, & authori monumẽtum ponere Chriſto,
Quale Arabum per agros quondã poſt littora rubri
Incolumi ſuperata maris gentique ſuorum

Atque ſibi Moſes cecinit meditatus, honeſta
Edidicitque ſoror Mariam teneriſque puellis
Tradidit, ac noſtris longè melioribus olim
Temporibus certa memorandum laude reliquit.
Namque canebat vti pridem crudelia paſſum
Multa diu Iſraelis populum, dum ſæua nocentis
(Dum nimium immitis ſupereſſent regna tyranni
Seruitio qui ſe, Nilum imperioque tenebat)
Et ſignis & portentis plagaque frequente
Vrbibus ereptum Pharijs miracula tandem
Plurima poſt, vna incolumem dein nocte dediſſet
Ille Deus, qui pollicitus multo antè parentum
Electis, certam fore ſe præſtante ſalutem.
Præſtitit is nobis, inquit, veraxque bonuſque
Sublimiſque Deus, memor hæc cui carmina ſemper
Et memori referenda animo & retinenda fideli
Ponimus atque excellenti celſoque dicamus.
Ille vt equos equiteſque mari demerſit, & altis
Fluctibus implicitos Vindex meus obruit IAS?
Is mihi præſidium verè. is mihi ſola ſalutis
Virtus, materia atque extat, quam verſibus vſque
Perpetuis celebrem: namque vnicus eſt mihi fortis,
Ille meum decus eſt, ſolus cantuſque decori
Argumentum ingens. hunc vltra tendimus aſtra
Exiguo ingenio quamuis, ſtudio tamen amplo,
Tollere conceptis & mente & pectore votis,
Ille vt certa meis tutela parentibus vltro,
Et Vindex Iudexque fuit, variumque periclum
Hos ſuperare dedit per inhoſpita & hoſpita Princeps,
Sæpe loca intactos deducens ſoſpite curſus;
Sic mihi & aſſertor conſtat, ſic fortis & idem
Vincere cuncta poteſt IAS nam prælia, ſolus
Ipſe ſalutis habet victor nomenque decuſque.
Cernis vt in medias pelagi detruſerit vndas
Parghonis armatos currus, ſtructaſque phalanges,
Delectoſque duces Erythræi ſtagna profundis

Fluctibus obruerint, grauibuſque ſimillima ſaxis
Turma coacta omnis baratrum deſcendit ad imum?
Profuit ille furor nihil his vſúſve natandi;
Nec poterat prodeſſe adeò, tua dextera quando
Vnica colliſos IAS. proſſundabat hoſteis,
Dextera magnificis exemplis nota potentis
Roboris, illa tibi infenſos quos mente ſuperba
Inſaniſque animis furor egerat, illicet auſos
Conſilium temerare ſacrum, tua maxima virtus
Perdidit atque iſtæ, lentè quas concipis, iræ
Vltrices magnæ ſcelerum; ceu flamma vel Eurus
Corripit illa leues ſtipulas, hic fluctibus alti
Incumbens maris vndiſono ferit æthera iactu;
Spiritus iſtius naſus ita tollere præſens
Oceanum in cumulos, altis & montibus vndam
Stare iubere parem ſubitò fluidumque liuorem
Surgere, & in vitreum veluti concreſcere culmen
Vndique, diductoque vias aperire receſſu.
Tunc inimicus atrox, fugientes perſequar, inquit,
Magna relaturus deprenſis hoſtibus atque
Nudatis ſpolia & præda rediturus onuſtus,
Poſtquam vibrato gladio ſitientia multo
Pectora noſtra manus repleat ſatianda cruore
Et genus inuiſum perdam, ſtrageque ſuprema
Confectum extinguã penitus tenebriſque recõdam.
Talia iactantem tuus IAS ſpiritus altos
Vorticibus merſit reſoluta mole tumentis
Inſtar montis aquæ ſua iamque in ſtagna refuſæ
In mare coniectum grauiore vt pondere plumbum
Diffiſo deſcendit iners cedente liquore.
Magne IAS tibi quis ſimilis de fortibus? Ecquis
Séve parem tibi componet referétve ſecundum?
Qui ſacra virtute vales cunctiſque remota
Exemplis, ſuperaſque vices hominũque Deumque
Heroas vulguſque Deos quos prædicat. At te
Intrepidus celebrare, tuas vel dicere laudes
Nemo

Nemo valet, quæque ipſe edis miranda referre
Nemo poteſt ſuperûm & noſtros vincentia ſenſus.
Te dextram tendente iſtam terra ima dehiſcens
Perdidit abſorptos hoſteis, quos atra vorago
Suſtulit è medio rerum: populumque redemptrix
Iſta eadem incolumes deduxit dextra per altas
Conſtrataſque vias ſurgentibus vndique muris
Vndarum & pelagi, hanc idem dux maxime plebem
Deduces ad templa, tuo quæ nomine ſancta
Ædificas ſpecie inſigni, tibi regia poſt hac
Hæc erit, en tua per genteis populoſque per omneis
Fama volat, terretque animos, menteiſque timore
Solicitat pauidas, trepidantem plurima mordet
Cura Palæſtinum iam longa in pace quietum.
Te proceresque tremũt, quos aſpera munit Idumes,
Teque duces pingueſque gregum quos lata Moabi
Paſcunt prata metu exhorrent: ſtipataque regnis
Terra Canaghanus variati nominis vnus,
Quam coluiſſe dabat ſoboli gentique ſuorum.
His, prope fulgenteis flammas vt cera liqueſcens
Defluit, attonito funduntur corda pauore.
Hos pauor, hos teneatque ſtupor tua magna timẽtes
Brachia, & vt lapides firmet cogatque ſilere,
Dum tibi, quam valida aſcribis virtute redemptam
Plebs hæc, immotos inter nimiumque ſtupenteis
Tranſeat incolumis Duce te, ſedeſque beatas,
Pollicitus quas es patribus, teneatque colatque
Heic, vbi ſacrato ſurgunt tua regia monte
Regia templa tuo ſolio fundata tuæ quæ
Extruxere manus IAS, ruituraque nunquam
Imperij iuriſque tui in ditione locata.
Regna IAE ſtabilita manẽt ſemperque manebũt
Tempora dum fuerint, & poſtquam tempora fines
Conſtiterint emenſa ſuos, æternaque nullum
Poſteritas habitura modum ſucceſſerit, vni
Stabunt regna Deo, ſæuum qui Parghonis vltor

Perdidit imperium, ferratis curribus auſi
Aurigis turmiſque equitum peditumq́ue cateruis
In mare ſanguineum ſe commiſiſſe: furente
Iſraelis ſobolem ſtudio dum euertere tendit.
Bellipotens IA s mediis in fluctibus illum
Obruit, immiſſas dum dicto concitat vndas:
Nempe ſuas acies promptoſq́ue in bella miniſtros,
Et iubet immerſos hoſteis circundare, & altis
Voluere vorticibus, letiq́ue includere in atras
Æternaſq́ue domos Erebi, ſed tempore eodem
Ipſe ſui Iſraelis natos deduxit ouanteis
Per ſola ſicca mari in medio conſtrata, neque vllo
Hoſtili ve malo tactos, numeróve minores.

IESV CHRISTO IN CÆLVM recepto cælitum gratulatio.

SAncto nate Deo matreq́ue virgine,
Qui formæ alterius, qui alterius tenes
Laudes eximias: vnus & integer
Audis qui Deus atque homo
Sex poſt luſtra boni conſilio Patris
Terræ exacta ſolo nunc redis, ac tuam
Æternam repetis viſere regiam,
Quam non antè reliqueras
Noſtrum nemo, ſacris quiq́ue palatiis
Verſamur vario munere cælites,
Quiq́ue amplum ſpatium currimus atrium,
Te abſentem meminit polo.
Aſt eius generis quo redis auctior
Fama, ſidereis ædibus antea
Non viſus fueras, quiſne putauerit
Carnem velle Deum fore?
Aſtu quæ colubri quæq́ue malis dolis
Humana in vitium conciderat caro,

Letum

Letum poſt obitum.; non valuit ſuum
Seſe reddere in ordinem.
Nec natura,poli quanta ſub axibus,
Nec nos, mira tuo numine promere
Quæis perſæpe datum , nouimus vt genus
Poſſit viuere perditum.
Sed tu in clara potens lumina vertere
Quod denſis tenebris horruerat priùs
Dum curas, fore, quod te ſine nihil erat,
Te carni inſinuas Deum,
Fidus ſeruus, agens inter inutiles
Seruos,vita manes, mortis & in ſinum
Cum multis,pateris dedere mortuis
Te, & cum ſacrilegis pium.
Dumque infirma tui puraque corporis
Pars indicta ſemel prælia ſuſtinet;
Effuſo reficis ſanguine, quos mala
Mors addixerat inferis.
Priſca, æterna ſimul quæ fuerat prior,
Illis mors, moritur; corporis altera
Quæ pòſt nata fuit mors, moritur tibi,
Illis languida redditur.
Illis languet ita, vt non queat vltimum
Euaſiſſe diem,quin pereat: tui
Tantum vis valuit viuida ſanguinis
Arcano edere numine,
Vt mel,quidquid ineſt, dulce quod arroget
Olim principium, ſuſcipit & fouet,
Idque in mella potens dulcia perficit,
Sordis cætera & abiicit:
Sic quæ vita hominum extincta fuit,malum
Hærens dum vitium pectore vixerat,
Vitæ ſana tuæ viribus vnicæ
Maior ſuauior & redit.
Et mortem & tenebras, ſordida & omnia
Quæ vitam obruerant, mentibus intimis

Expul-

Expulſa in barathrum trudis & in ſuum
Antiquum relegas nihil.
Nuper quos veteris dicere filios
Adami ratio iuráque iuſſerant;
Nunc fas ætherei dicere iam Patris,
Artus corporis ac tui.
Dum viuunt generant cætera; at efficax
Tu primùm genitus, dum moreris, potes
Extinctos iterum ſiſtere, & ad nouam
Vitam progenitos dare.
En, quas certa fides ſpeíque diutius
Diuini tenuit polliciti pias
Quas tranſacta animas ſecula viderant
Terris degere in infimis,
Vt nunc exilij te duce priſtini
Mutatam referunt & memorant vicem,
Authorem pretium teque canunt ſuæ
Libertatis, & indicant,
Poſt hac non veteri ſe de hominum grege,
Cenſeríve ferent fratribus impij
Caini, æthereain quos bonus in tuam
Transfers inque Patris domum.
Felix ergo noua ac progenies ades,
Quocunque iſte ſuo in corpore Pontifex
Dilectos penitus tranſtulerit, ſacro
Natoíque addiderit Patri.
Et vos prima nouûm nomina ciuium
Quos iam ſcripta polo pagina cenſuit,
Iam fas eſt, ſuperûm ianua iam patet,
Veſtra in prædia pergite.
Nunc vos ille Patri primitias refert,
Fratreis atque ſui ſanguinis aſſerit:
Commendatque alios, hæc quoque tempora
Quos & poſtera proferent.
Namque illi è merito dat Pater omnia
Et poſſe & facere, & vertere, vt ætheris
Ima

Ima regna volens conſociet ſolo, ac
Terras tollat in æthera.

SPIRITVI SANCTO IN APOſtolos illapſo.

Carmen Sapphicum.

PRincipem cæli, Dominumque terræ,
Rebus humanis bene prouidentem,
Et iugo immunis populus perempto &
Liber ab hoſte
Credidit quondam, magis at timere
Credere & certus, ſimul atque in æthræ
Nubibus ſenſit nimium ſonora
Voce loquentem.
Voce qua magni tremuere cæli
Cardines, colles trepidaſſe, & altum
Montium culmen crepuiſſe fundo
Fertur ab imo.
Illa diuinam ſatis indicatam
Signa mortaleis docuere legem,
Vindices culpæ comiteſque pœnas
Dicere certam.
Nil, metus præter dubioſque ſemper
Mentibus tempus tulit id pauores;
Namque purgare haud valuit recepto
Corda veneno.
Nunc vbi ad ſummi rediit Parentis
Dexteram victor ſuperata Ieſus
Morte, confractis erebique vinclis,
Omnia mutat.
Huius inductus merita probandas
Gratia menteis Pater innouando
Dulcibus verbis fouet atque amica
Voce benignus.

Præſtat

Præſtat hoc miſſus Patris atque Nati
Nutibus, motu ac veniens libente
Spiritus, per quem bona ſumma cuncta &
Ima parantur.
Ille confuſum geminum liquorem
In decus rerum, variaſque formas
Mouit & fouit bonus & potente
Numine finxit.
Et Patris quidquid placuiſſe Verbo
Nouit, is prompto ac facili peregit
Munere: hunc quidquid iuuat, vlla nuſquam
Tempora tardant.
Non par huic velox radiante fulgur
Emicat flamma, ſubito & videndum
Seſe in occaſum medioſque tractus
Præbet & ortum.
Aſt vbi effulſit fugit & trementes
Luce præſtringens oculos pauere
Cogit, hic fulgens vbi iam dedit ſe
Spiritus hæret.
Afflat, atque vndas mouet & ſupernum
Pulcra producens generat calorem
Mentibus iuſtis, renouatque terræ in
Corpore vireis.
Cordis humani malè fauſta pridem
Prædia expurgat, ſterilem diuque
Fertili ſucco replet ac beato
Semine glebam.
Protinus cedunt metus, & ſuperbæ
Gloriæ faſtus, gemina & cupido,
Et ſui fallax amor inuiduſque
Stultitiæque.
Fauſta diuini & ſacra fax amoris
Charitas fratris bene amica & hoſtis
Imbuunt venas, penetrant nouique in
Viſcera ſenſus.

Qualis

Qualis hinc rerum facies, recentem
Quod decus rerum niteat per orbem
Accipe, in quantum breuis experiri
Iam dabit hora.
Nuper hic cymba tenuique lino
Piſcium captor nihil artis vltrà
Doctus, extinctos homines in almum
Rete trahit nunc.
Mortuos primùm capit, in ſui quos
Iura vbi lectos pepulit magiſtri,
Liberos præſtat, facit & perennem
Viuere vitam.
Mille bis terque his hodie notantum
Fluctibus primæ pelagoque mortis
Primus excepit tenuitque ſermo
Iactus & vnus.
Myſtica & cæli ex adytis petita
Verba deuoluens rudis ille pridem
Edocet, nullis memorata noſtro
Tempore ſcribis.
Quodque Abrahami ac placidi nepotis
Compares altis ſocieſque viſis,
Dat quies noſtris ſenibus diſerta
Viſere mente.
Vatibus priſcis ſimiles videmus
Mira ſermonum iuuenes locutos,
Ritè reſpondens referat rogata o-
racula virgo.
Plura quid mirer? fuerant ſuæ qui
Vel rudes linguæ Galilæa turba
Nemo mortalis ſua perſonare hos
Verba negabit.
Vnde diuerſus ſonus? vnde tantam
Copiam rerum & didicere vocum
Tam citò certam ſeriemque dicti
Diuaque ſenſa?

Nempe

Nempe qui quondam ſibi conſpiratos
Filios Sethi malè differente
Voce turbabat, Deus hic eoſdem
Conciliat nunc.
Ille diſperſos meliore turrem
Et volens vrbem poſuiſſe campo
Omnibus tendit, fouet, vrget, vnam
Indere mentem.
Ergo delectos operis miniſtros
Creditum exemplar tenuiſſe certos
Inſtruit linguis hominum, capax quas
Diuidit orbis.
Nec ſacro deſunt operæ labori
Singulis dum ſint eadem petenda:
Diſcrepant voces licet, vna cunctis
Mens tamen inſit.
Mox vbi ſtructam numeratus vrbem
Ciuis intrabit, pariter colentum
Vna vox fiet, nihil indigenſque in-
terprete lingua.
Vnica æternæ monumenta laudis,
Vnicè ſimplex modus & canendi,
Quæque non vnquam ſatient piorum
Carmina ſenſus.

ZACHARIÆ SACERDOTIS AC VATIS IN SECVLORVM FINES communis gratulatio.

Ex Græcis verſa.

Carmen Sapphicum.

PVblicè gratam celebrare laudem
Iſraël debens canat imperanti
Principi cælis, domino & ſuo, quem
Sæpe fauentem

Nouit

Nouit & magnis ſibi ſoſpitalem
Caſibus nuſquam neque prouidentem,
Nunc ſui demum memoremq́ue pacti
Conſiliiq́ue,
Is pium præſens populum redemptor
Suſcipit nunc, quem grauibus catenis
Liberum æternæ ad ſacra regna vitæ
Transferat auctor.
Firmat is cornu ſolidæ ſalutis,
In domo ac præſtans oleum refundit
Dauidis fidi famuli, bonus quem
Vnxerat olim.
Ille ſuſcepti ſibi dicta quondam
ConſilI ſanctis reſerarat vltro
Vatibus, quorum memorata ſeclis
Carmina conſtant.
Hoſtium turmis malè & inuadentum
Nos manu duræ fore liberandos
Sic bonum ſeſe patribus daturum,
Sicq́ue benignum.
Sic ſacri dicti memoremq́ue ſancti
Fœderis, quod iam bonus Abrahamo
Iure iuratum bene præſtiturum
Pollicitus ſe.
Liberos vt nos procul & nocentum
Hoſtium ſæuis manibus metuq́ue
Nil ſibi gratam vetet ac probandam
Ducere vitam.
Et dies poſt hac ſuperare quotquot
Annuat noſter numeretq́ue Princeps,
Et piè & iuſtè dabit auctor idem
Viuere cunctos.
Ergo tu Vates ſibi deſtinatum
Voce venturo præeunte curris
Nuncius ſummi puer ô Parentis
Rite vocandus.

Tu viam ſternes prope te ſequenti,
Atque iter rectum Domino parabis,
Doctor inſtantis populo ac ferendæ
Præco ſalutis.
Nam ſalus, culpæ ac vitij remotis
Vinculis, præſens aderit: miſertus
Sic Deus noſter voluit, benigno &
Numine præſtat.
Ille Sol nobis oriens ſupremo
Luxit è cælo nouus, atque terras
Luſtrat inuiſens, tenebris repulſis,
Mortis & vmbris.
Antè perfuſi quibus & pauentes
Hæſimus pleni metus atque curæ,
Nunc inoffenſo pede per viarum
Fauſta feremur.

In cœnobio Regio D. Laurentij,
Anno CIↃ. IↃ. XCII.

קהלת

Eccleſiaſtes.

HVMANARVM RERVM ACTIONVMQVE SVMMA, SALOMONE COLLIGENTE SVBDVCTA, ET CARMINIBVS DECANTATA:

B. ARIA MONTANO INTERPRETE

Latinis verſibus M. X I. excepta.

LIBRI ECCLESIASTES ARGVMENTVM.

Nomen KOHELETH *collectricem ſignificat, id eſt, Sapientiam rerum ſummæ ſubductricem.*

Quidquid agunt homines, votũ, timor, ira, voluptas,
Gaudia, diſcurſus, huius farrago libelli eſt.
Clauditur ille breui documento & ſimplice vero.

QVI numerandi peritiam profitentur, ideo Arithmetici vocati, poſtremam & non inutilem ſtudij ſui partem in re prorſus vana, nec tamen vanè ponunt. hoc eſt, in ſubducenda, deducenda, & ſolidanda ratione eius quod nec quicquam eſt, nec eſſe, & ex conſequenti nullum ſui præſtare vſum poteſt, id eſt, in cognitione, partitione, cõpoſitione, & multiplicatione eius quod NIHIL *dicitur. id oppoſitum omnino eſt ei quod* RES *appellatur, cuius aperta & conſequens affirmata ratio viam demonſtrat. qua ex diuerſo, imò ex aduerſo* NIHIL *etiam numerari poſſit. Vt enim in re ponitur, additur, & conſolidatur ratio certis nominibus; ita rurſus in nihilo ratio ſubducendo, detrahendo, & auferendo ſua ratio etiam inita ad* NIHILI *multiplicationem, diuiſionem, & ſummam cæteras etiam proportionum formas conſlatur. Nam quantum in rebus poni-*

tur, vt rerum augeatur numerus, tantundem in hac artis parte detrahitur, vt NIHILI *ratio in deterius prolabatur. huius rei breue exemplum in præſentiarum ſatis fuerit, cum plura & magis ingenioſa ab ipſa arte peti poſſint.*

Res	1	NIHIL	0
	7		0
	8		0
	4		0
Summam conficiunt			0
20 *quam qui poſſidet ſolidam, plus rerum poſſidet atq; is cui ſingula tantum conſtant nomina.*		*Summam conficiunt quinquies nihili, cuius cui tota ſumma adſcribitur plus nihili eſt in* 00000 *quàm illi cui tantùm ſemel aut bis, vel ter, vel etiam quater nihil arrogatur.*	

Vt qui plus rerum tenet, ditior eſſe dicitur, & beatior habetur: ita contrà miſerior magiſque egenus cui numeroſius NIHIL *adſcribitur. Hæc acuta & ingenioſa artis pars Arabico nomine Algebra dicitur, Salomoni quondam hominum ſapientiſsimo non modò cognita, ſed experimentis ac nominibus plurimis comperta, atque ad publicam hominum eruditionem & vtilitatem tractata & commonſtrata non rationibus ac documentis modò, ſed frequentibus etiam & manifeſtis exemplis. Namque is in rationibus dati & expenſi nomina plurima enumerat cura*

ac laboris ac ſumptus ab hominibus in humanis rebus & ſtudiis actionibuſque poſiti, eadémque varia & pro magnitudine opinionum & opportunitatum æſtimanda: contrà verò in ratione accepti plura nomina, omnia tamen NIHIL *& magis* NIHIL *è regione collocata, illud conſiciunt, maximam* NIHILI *molem, maxima opinionum, curarum, & ſtudiorum, laborum, atque ſumptuum, &, quod turpiſsimum eſt, ſcelerum ſumma comparari. Quod nos* NIHIL *dicimus, idem interpres Latinus Vanitatem vocat.*

PRÆLVDIVM.

QVisquis eris, quem recta iuuant, quem tædia longi
Erroris dubiæq́; viæ ſine fine modóque
Progreſſum laſſumq́; tenent, dignoſcere verum
A falsis (verum eſt vnum, ſunt cætera falſa)
Si cupis, hîc mecum paucas conſume fugacis
Atque alias vanè perituri temporis horas,
Dum doceo, immane quantum diuerſa probantum
Vox hominum nuſquamq́; ſibi ſententia conſtans
Diſcrepet à vero & pulcro, nullamq́; beatæ
Contingat partem nec ſeria commoda vitæ.
Tum breuiter diſcesq́; viro bona vera petenti
Quæ via certa patet peragendi & copia voti.
Non opus ingenij hoc noſtri, ſed mente fideli

Roma-

Romano & quantum licuit ſermone relatum
Diuino ſolio atque viri ſapientis ab ore,
Natio quem Solymûm quondam eſt mirata paternum
Dauidis & ſolium, & clauum ſceptrumq́; tenentem,
A pueróque bonum populi prudenter habenas
Voluere perpetua ductorem pace quietum,
Cui conceſſa polo ſapientia cernere formas
Rebus in humanis dedit, & cognoſcere cauſſas,
Ac primis poſtrema quibus laqueiſque modiſque
Nectantur ſolidæ rationis iure tenaci,
Sæpéque opinantum menteis vulgíque ſecundi
Vmbrata vt veri ſpecies & fallat imago.

Quare hæc nō ſegnem ſenſum & calcaris egētem,
Verùm abaci doctum & ſummam deducere, poſcunt,
Nominibus gnarum poſitis rurſumq́; remotis, Algebræ ſolertia.
Atque notis numerisq́; ad non extantia prorſus
Quæq́; negent vſus certi ſibi cognita, ductis.
Vltima vis artis numeríque abacíque peritæ,
Quam poſtquam bene verſatam ſapientis ad vnguem
Cor ſtudiúmque viri tenuit, præſente miſertus
Mente hominum curas, necnon & gaudia vana,
Sic, dictante Deo cum rebus verba, profatur.

COLLECTIO PRIMA.

ERgo nihil ſunt cũcta, nihil ſunt ſingula, nil ſunt.
Iũctaq; cõficiũt nihil omnia nomina, quãtũque
Optat agens mortale genus, ſequiturque, petitque,
Et cupit, & metuit, laudat, curatque, vbi cuncta
Obtineat mala quæ duxit, bona quæque putauit
Effugiat. peregiſſe nihil, nihil inde relatum;
Et ſibi quod rectè proprium feciſſe repulſa
Errorum nebula, & ſumma conſtante, loquetur
Sæpiùs experta hanc pridem ſapientia ſummam
Partibus è cunctis collectam duxit, & inquit,
Inferior quantum rerum tenet orbis, & olim
Aureus illuſtrans recreat ſol, datque videndum,
(Vnũ hominem excipio) propriis dũ ſingula cerno
Ordinibus diſtincta ſuum peragentia munus
Inuenio, certoſque ſibi attingentia fines,
Quos ſimul ac tenuere, aliud non amplius optant,
Nec conſueta adeò permutant munia, perſtant
Quæque ſuis intenta operis cauſiſque fruuntur
Vnde valet opus vſque ſuum fructumque probare,
Sic opus atque operis fructus diſtincta reportant
Nomina. ſolus homo aſſidui magnique laboris
Nominaq; & numeros prægrandi in codice poſtquã
Scripſerit, aduerſo conſumptæ in margine vitæ
Nominis, accepti aut fructus nihil vſque notabit,
Nil, inquam, quod Sol videat cedatque legendum.
Si iuuat hoc verè cognoſcere, collige mecum.
Secla priora abeunt, cernis? tum poſtera certũ eſt
Secla ſequi, ſimileſque homines & cætera volui:
Excipit hoſpitio conſtans venientia Tellus,
Atque vna hæc primis abeuntibus integra reſtat;
Dumque fluũt peragũtque ſuas dum ſecula parteis,
Inſtruit inſtructumque tenet non mota theatrum.
Sol memor ipſe ſui atque alacris nunc ſurgit ab ortu,
Nunc petit occaſum certis vbi delitet horis,

Rurſus

Rurſus & inde oritur, priùs vnde & viſus oriri eſt,
Menſibus atque ſtatis iam nũc diuertit ad auſtrum,
Iam redit, & Boream viſit, ſeptemque triones:
Spiritus ac tenuis ventus per inane mouetur,
Non temere ſeſe extendens, ſed circuit orbem,
Et ſpirat quacunque agitat loca, & omnia complet;
Atque ſuos peragens orbes flatque, itque, reditque,
Voluitur in tractus proprios, nuſquamque quieſcit.
Flumina cuncta mare extentum campoſque liquẽteis
Vnde exorta priùs repetunt, laticeſque reponunt
Multiplici mixtos ſucco; venientibus vndis
Non tamen excreſcit pelagus terræve minatur,
Littora ſunt eadem, occultos mox flumina terræ
Per cuneos perque anfractus venaſque latentes
Docta iter antiquum ſubeunt, fonteſque requirunt,
Vnde iterum variata mari ſua munera reddant.
Et fuerit labor immenſus ſi cuncta paremus
Dicere quęque vident oculi atque vidẽda ſuperſunt:
Quamquam viſa ſatis nũquam ſibi lumina & aures
Non audita ſatis rerum ſibi multa velint plus
Cernere & audire, tamen omnia legibus iiſdem
Queis cælũ, queis terra parens, ventuſque, mariſque
Flumina procedunt: proprias nam ſingula normas
Naturæ cauſæque tenent, motuſque ſequuntur,
Quas variant nunquam; reſpondent omnia certis
Principiis, certos pertendunt certaque curſus,
Atque ſuum claudunt ſeclum nomenque tuentur,
Quoque modo quæ nunc ſuperant, ſunt, antè fuere
Quæ priſcum abicondit ſeclum: venturaque tandem
Quæ fuerint, his atque illis paria omnia fient.
Natura eſt eadem cunctis vt tempora diſtent
Teſtis erit mihi Sol, luſtrat qui cuncta videtque
Nil ſibi in orbe nouum ſpectatũ currere poſtquã eſt *Vniuerſalia.*
Præſcriptaſque vias peragrare à numine iuſſus.
Si quidquam extiterit quod nunquam videris antè,
Non tamen hæc noua ſunt dicas: nam ſecla priora

Exemplum videre aliudq́ue aliudq́ue, neque vllum
Inuentum eſt quod non tulerit deſerta vetuſtas,
Efficiuntur enim conſtantibus omnia primis
Principiis rerum, ſed prima exordia mundo
Emicuere nouo pariter victura: ſed vni
Cuique ſuum ſe promendi tempuſq́ue latendi eſt.
Delituere diu nobis nonnulla remotis
Obruta temporibus penitus tenebriſq́ue ſepulta,
Quæ nemo ſibi viſa memor vel tradita dixit:
Hoc longæ eſt ætatis opus, quæ condere nouit
Conſpicuum quodcumque priùs fuit, edere in auras
Occultata diu patribus, rurſuſq́ue nepotum
Condere temporibus pulcra atque nitentia quæ nūc
Cernimus, & miranda aliis oſtendere ſeclis
Quæ pòſt longa dies & longa ſilentia celent.
Ergo caput rerum & ſummam fonteiſq́ue tenere
Ex iis quæ antè oculos verſantur iure licebit.
Ille ego qui certam rerum tibi colligo ſummam,
Iſraëlis regnum tenui, Solymûmque ſacrata
Illuſtrique in vrbe fui moderatus habenas;
Rex populi non vulgaris, non pauperis, & cui
Nulla æquare queas terrarum commoda, nulla
Ingenia anteferas ſapienti exercita cultu.
Hîc animum & mentem certuſq́ue volenſq; dicaui
Noſcendis rerum cauſis quæcumque ſub axe
Sol videt, ac viſenda bonus mortalibus ægris
Indicat, & cæli claudunt cohibentq́ue fouentq́ue,
Quæq́ue magiſtra hominū ſapientia oſtēdere poſſit,
Quando perpetuo, magno, aſſiduoq́ue labore
Hæc homini parienda Deus retinendaq́ue liquit,
Quidquid agunt homines quod ſol oſtendit agētes,
Vota, voluntates, iram inuidiamq́ue metumq́ue,
Quid paret ambitio, tentetq́ue feratq́ue cupido,
Quæ ratio, quæ ſumma boni puræq́ue quietis,
Quæve petenda viris & quæ fugienda putentur,
Omnia peruidi prudens, atque ecce notaui
Cuncta

Cuncta ſubeſſe dolo nimio: nam cuncta labore
Cùm conſtent, cura & nimia, tamen omnia ſunt nil,
Sic nihil, vt ſi quis contendat paſcere ventum.
Nam quę praua ſibi perſtant, non ſiſtere quiſquam
Recta valet: ſi contendat, conetur & arte &
Viribus, aut illa aut ſeſe, vel rumpet vtrumque.
Quæque ita deficiunt vt nullum denique certum
In nomen venire velint, numerumque replere,
Quis numerare queat, aut vlli apponere ſummæ?
Vtile & in rerum genus aut inducere pulchrum?
Sic ego cum noſtro decernens corde putabam,
Multa quidem noui ſapiens, quæcunque priorum
Nouerunt quondam ſapientum ſecula, quos iam
Vrbs claros vidit Solymûm populumque monéteis,
Quos etiam ſuperare mihi modò plura ſcienti
Contigit, vt nullum mihi iam ſapientia priſca
Prætulerit, nullum multarum notio rerum
Partibus vtriſque opponat vel comparet antè.
Ergo corde adeò ſolidum ſapiente licebit
Diſcere num præſens ſapientia iunctaque nugis,
Quid valeant hominum generi præſtare, beéntne
Et requie afficiant mentem? ſed & hæc quoque luſit
Me ratio, vt didici expertus. namque addere curas
Hoc erat, & ſecum pugnanteis paſcere ventos.
Nam nugis coniuncta adeò ſapientia quantum
Exſuperat creſcens, tantum indignatio ſani
Cor hominis vexat; rerumque ſcientia maior
Quo magis expetitur multo parienda labore,
Hoc magis obiectis nugis iam parta dolere
Cogit doctum hominem, feruenti ac pectore ringi.

COLLECTIO SECVNDA.

Dimiſſis igitur quas fert ſapientia curis,
Sic noſtro rurſus cum corde locutus agebam:
Eia age, lætitiæ quantum bona gaudia poſſint,
Experiar præſens, & in iſtis quanta voluptas.

Ecce tamen NIHIL eſſe etiam deprendimus illud
Iucundum quidquid fertur gratumq́ue bonumq́ue.
Namque ſuperuacuum riſum ſtultumq́ue notaui,
Ac de lætitia dixi, quid nam vtile præſtat
Hæc? age, miſcebóque merum, nam pocula multo
Plena mero ſumam, tamen vt ſapientia funem
Ducat certa chorumq́; regat comiteſq́ue gubernet,
Nugis & cantus, & cætera ludicra, donec
Iam ſapiens, iamq́ue expertus quid oporteat vnum
Vnum agere, atque bonum ducendo ſemper amare,
Mortaleis ſobolemq́ue hominum dum vita breuiſq;
Hæc vſura manet numerati temporis intra
Cælorum properantem orbem luceiſq́ue volanteis.
Hoc, inquam, ſtudio inductus magna omnia cœpi
Ædificare mihi prudens; ædeiſq́ue domoſq́ue
Materia atque modo egregias ſimul, arte locoque,
Proq́ue ſitu atque vſu varias pro tempore & horis.
Tum mihi diuerſis decorandus pampinus vuis,
Conſita multiplici folio variiſq́ue racemis
Vineta inſtruxit, colleſq́ue ornauit apertos.
Nullum adeò malíve genus, bacchæve nuciſve,
Nos latuit, nullum noſtro non creuit in horto
Quæ floris nituere ſui frondiſq́ue decore
Maturo, ac dominum iuuerunt omnia poma.
Hortorum quoque cura fuit non vltima nobis,
Herbarum & florum ſpecies vireſq́ue modoſq́ue,
Atque vſum edoctis loca quæ & quæ tẽpora cuique
Conueniant formæ: nãque eſt pulcherrima pars hæc
Naturæ in ſtudiis & iucundiſſima ſenſu.
Præterea inuentis per monteis fontibus alto
Principio edoctas tabrefacta ad ſtagna lacuſq́ue
Currere aquas iuſſi, poſitiſq́ue canalibus inde ac
Deductis fuſis riuis ſiluaſq́ue rigabam:
Et nemora & quocunque operi fuit vtile lignum.
Quidnam emptos referã ſeruos, nimiũq; frequenteis
Ancillas, quantum famulorum turba per omnem
Denſa

Denſa domum mihi ſeruierit, variiſque miniſtri
Ordinibus, ſua conſtiterint vt munia cunctis?
Nam quis apud Solymos vnquã regúmve virúmve
Tot quondam fertur pauiſſe armenta per agros,
Tótve greges latis erranteis montibus atque
Vallibus in lætis memoratur, ſiue capellas
Siue ouium quis amet cum fœtu velleris vſum;
Iam verò argenti atque auri quæ copia nobis,
Quanta ſuperfuerit gemmarum quantaque baccæ
Vis fuerit; quidquid pretioſum regibus vnquam
Ducitur, & variis quidquid regionibus orbis
Priuatum profert & raro munere laudat,
Omnia vt in noſtram coiſſe vrbemque domumq;,
Mirari vtve nouum nihil vtve requirere poſſem?
Seu ludi placuere mihi ſeu ludicra, quanti
Cantorum, cantatricum conuiuia noſtra
Tibicinumque chori, fidibus quoque pſaltria docta
Perſonuere mihi in numerum ſaltare peritæ,
Crinibus in nodum comptæ ſtrictiſque mamillis,
Deliciæ atque hominum plures luſere puellæ
Egregiæ, qualeiſque legit poſt prælia victor.
Sic ego compoſitis rebus tot, ſic ego Princeps
Magnus eram potiuſque ampliſſimus, vt mihi nemo
Quanquã æquare queat, nec vel numerare ſecũdum,
Ex iis quos Solymi reges memorantve tyrannos,
Præſertim cui certa etiam ſapientia, quid nam
Siue boni ſit ſiue mali expetitura, maneret.
Nil ego quódve oculis noſtris placuiſſe cupitum
Noſſem, nil cordi abduxi optatúmve negaui,
Vna mihi cum lætitiæ pars viſa petenda
Viuendi in breuibus ſpatiis, & gaudia ſola
Eſſe homini pro tot curis tantoque labore.
Contemplatus at hæc rurſus, quæ plurima noſtræ
Inſtruxere manus ſtudio atque parata frequente
Conſtiterant & ſolicitis ſudoribus vſque,
Ecce equidem video, tandem NIHIL omnia dixi
Eſſe

Eſſe, nihil, venti paſtum, curamque moleſtam:
Nilque boni mihi præterea ſub ſole repertum eſt.
Rurſus item redeo, & quid nam ſapientia vanis
Cum nugis collata habeat, quid ſola parare
Conferre aut valeat mortali inſania vitæ:
Nam quid homo poſſit priuatus quærere quiſquam
(Quantum olim iam tentantes fecere priores)
Vel regi æquandum ſimili vel parte ferendum?
Heic tantum diſtare mihi ſapientia viſa à
Stultitia, quantum à tenebris lux diſtat; & ille
Viſus habere ſuum lumen, propriiſque probare
Eſſe oculis caput inſtructum, quicumque diſertus
Et ſapiens fuerit, ſed contrà inſanus in atris
Verſatus tenebris non vnquam incedere ceſſat.
Attamen hos omneis cognoui tendere in vnum
Forte parem vitæ curſum ſortiſque ſupremæ,
Vnde ego ſic mecum: Si qualem inſanus habebit,
Talis & euentus nobis finiſque paratur;
Quid prodeſt tam multa mihi ſapuiſſe? nihil ſit
Hoc quoque. ſic ego ipſe meo cum corde loquebar:
Non æterna magis ſapientis mentio, quàm quæ
Inſani eſt, poſt hac ventura in ſecla manebit;
Quin ſors vt ſimilis moriturum expectat vtrumque,
Sic vtriuſque eadem mox cæca obliuio nomen
Obruet obſcuris tenebris conderque ſepultum.
Sic ſum viuenteis pariter vitamque peroſus:
Quandoquidem poſt tot curas tantū atque laborum
Acta & diſcurſus quàm multa & facta videt Sól;
Nil reliqui eſt, curæ niſi, venti, & paſtus inanis.
Odi igitur quidquid vel Sole vidente peregi,
Vel ſtudio mihi confectum eſt, ęrumniſq; paratum,
Alterius quando, quem neſcio & ipſe, futurum eſt,
Quódque an inſani, an cedat ſapientis in vſum,
Incertum eſt, noſtro aut quis dein ſudore fruetur
Iiſque, ego queis animo nimium ſapiente repertor
Iudice ſole fui. Nihil hoc quoque iure vocabam.

Tunc

Tunc ego mutato ſtudio, Me pœnitet, inquam,
Et pudet ac tædet quantum ſub ſole ſubiui
Vſque laboris & impenſæ curæque operæque,
Scilicet vt quæ quis rectè ſapienter & amplè
Doctus multa ſciens cura vigilante pararit,
Poſſideat ſecurus homo, immuniſque pericli,
Atque operæ & ſummæ impenſæ ſibiq; arroget otI,
Cultoremque iuuēt mea magna negotia? Quid nam
Durius eſſe poteſt, peius quid, quidve magis NIL?
Illi cui primùm fuerant hæc acta, quid vltrà
Præter opus, curam infeſtam, aſſiduumque laborem,
Mentis & ærumnas, & quidquid durius iſtis
Contigit? iratum vidit ſol omnibus horis,
Ægro animo, haud facileq; ſuis, ſibi prorſus iniquũ,
Cuique dies læti nulli, nox nulla quietem
Sollicitæ indulſit mentis, curáſve leuauit.
Nónne hoc in NIHILI debet concedere ſummam?
Iámne homini quicquã placeat, niſi grata voluptas,
Et vinum atque epulæ, liberrima & otia, pulſis
Pauperie & curis? namque hæc eſt cauſa vagandi
Per mare per terras aurum argentumque petenti.
Attamen haud quiuis valet hũc cõtingere fructum,
Nempe Dei inuito vel numine vel renuente,
Quod res, quod rerum fineis ac tempora voluit.
Ergo niſi ipſe fruar parti, comedamque bibamque,
Quid mihi ſolicito eſt aliis tot quærere aceruos?
En Deus vltro homini, ſanæ quem mentis habebit,
Doctrinam, ingenium & prẹſens. & multa ſciendi
Virtutem cum lætitia, (quæ gaudia vera)
Præſtat & accumulat. ſed contrà, quem iuuat error,
Huic dat quærendi ingenium, loculoſque capaceis
Ad ſummum complere auido permittit, vt iſtis
Vtatur, non ipſe quidem, ſed quem volet vti
Decernetque Deus. cura ergo & inutilis hæc &
NIL paritura homini eſt, & venti paſtus inanis.

COLLECTIO TERTIA.

TEmporibus quoque turbandis & finibus atque
Principiis operum & rerum, mediíſque tenẽdis,
Non minus erratur. Seruant namque omnia tẽpus,
Quæque ſuum breue vel longũ ſpaciũque manendi.
Opportuna eadem non eſt ſimul omnibus hora.
Horam partus enim propriam ſibi vendicat; atræ
Hora quoque eſt morti ſua deſtinata diéſque;
Eſtque dies, qua plantari virgulta per agros
Conueniat, conuellendi plantata dies eſt:
Hora etiam eſt occidendo conceſſa, nefas quam
Sit variare; hora eſt rurſum opportuna medendi:
Diruere ac demoliri pro tempore fas eſt,
Ædificáre ſuis horis quoque conueniet: nec
Fletibus & lachrymis ſua defuit hora, ſuámque
Lætitia & riſus cernunt poſcúntque pudenter:
Communis quoque lamenti mœſtæve querelæ
Non hora eſt eadem, quam publica gaudia poſcunt:
Iam tempeſtiuum eſt longè protrudere ſaxa,
Iam legere, inque vſum proiecta reponere rurſum
Iam licet: & carum complexu ſtringere pectus,
Lõgè & ab amplexu quoque iam diſcedere oportet:
Quærere nunc hora eſt, hora eſt nunc perdere parta:
Condita ſeruare, & ſeruata ſpargere, vtrumque
Poſtulat hora decens: hora altera ſcindere veſteis,
Altera conſuere abiuncta & componere ſuadet:
Opportuna etiam veniet nunc hora ſilendi,
Nunc importunum fuerit non eſſe locutum:
Eſt & amicitiis modò amabilis hora colendis,
Eſt inimicitias modò quæ non improbet hora:
Et bellis, opportuna & ſunt tempora paci.
Qui ſtudeat variare horas momentáque rerum,
NIL, vanam præter curam inueniétque laborem.
Contemplatus ego, quantum permiſerit Adæ
Progeniem natóſque Deus ſe tradere tot iam

Voluendis rebus, cura ac ſe dedere multa,
Sæpéque fruſtrari. namque omnia conditor ipſe
Temporibúſque horíſque ſuis diſtincta decenter
Diſpoſuit propriis non irrita legibus vnquam,
Queis tamen ignotis iſti & peruerſa receptis,
Corde auido æternas mundi conquirere normas
Audent, atque vltra primas procedere cauſas,
Atque negata homini penetrare ſacraria, ad vſque
Supremos demum fines operíſque creati
Conſiliíque Dei leges monumentáque cuncta;
Quæ cùm non valeant tamen hi contingere, noui
Ipſe alios hominis quibus vna eſt ſumma bonorum
Riſu & lætitiæ reliquum indulgere per æuum,
Atque hac mente modum nullum aſſiduóque labori
Et ſtudio ſtatuunt faciendi quoque modo rem,
Ne cibus atque potus deſit, cùm nec tamen illud
Eueniat cuiuis gaudere fruíque paratis
Atque labore graui quæſitis. quippe Deus queis
Permiſſum hoc voluit, ſolis contingere, conſtat:
Atque ita Nil prodeſt proprio quod tempore nõ fit.
Fruſtra igitur quiſquam tentauerit, illa, Deus quæ
Temporibus dimenſa ſuis facienda modíſque
Conſtituit, fruſtra mutare parabit vt vltrà
Protrahat, vt maiora ſibi, reddátve minora,
Comparet aut citiùs aut tardiùs: illicet vni-
Cuique ſuum conſtat præſcripto ex ordine ſeclum.
Vnum hoc perpetuum & nullas variabile in horas
Inſtituit fecítque Deus, ſe ſcilicet omni
Vt metuant homines, vtque omni tempore adorent,
Qui ſolus præſtare valet bona commoda ſemper.
Quidquid præteriit, potuit iam dicier, hoc eſt
Iamque fuit, quodcunque & erit, ſic vltima primis
Conueniunt & reſpondent, Deus omnia quærit
Et repetit, voluente polo; quæ pars prior eſt nunc,
Poſterior fiet rurſum, præſénſque videnda
Atque eadem dicenda etiam poſt prima, redibit.

Namque viam ſemper Deus altè inſiſtit eandem,
Non, vt me in terris memini ſub ſole videre,
Quæ loca ſeruandi fuerant & iuris & æqui
Vſibus opportuna, malum iniuſtumq́ue tenere
Atque fouere hominem, & ſedes turbare nocentem
Iuſtitiæ expulſæ, exemplis turbare & iniquis.
Tunc ego ſic noſtro fueram cum corde locutus:
Attamen ipſe Deus, quæ nunc inuerſa trahuntur,
Perquiret vindex & corriget omnia iudex,
Cui locus atque dies conſtant vbi iudicet inter
Iniuſtum iuſtumq́ue, ſuis & ponat vtrique
Præmia pro meritis, decreto aut vindice pœnas,
Sic voluiſſe Deum, ſic conſtituiſſe docemur:
Sed cunctis locus eſt ſua ſunt ac tempora rebus.
Ipſe tamen noſtro miratus pectore Adami
Progeniem, qualem quondam Deus eſſe creando
Iuſſerat, & quantum ſeſe mutauerit ipſa,
Certè, inquam, gens hæc mutis generiq́ue animátum
Quadrupedum ſimilem ſeſe exhibet ipſa libenter:
Non video, viuens quid præſtet maius: at horum
Si ſpectem poſtrema dies quid diſcrepet illis;
Quadrupedẽ atq; hominẽ, vt video, manet exit⁹ idẽ:
Mors hominẽ brutumq; rapit, mors finit & ambos.
Morte pares vt ſunt, cunctis quoque ſpiritus idem
Eſſe videtur item. Namque hic melius quid agendo
Viuẽs præſtat enim? NIHILVM pars vtraque ſummæ
Apponit, quin cuncta NIHIL concludere poſſim.
Si finem ſpectes, videas vtroſque in eundem
Deueniſſe locum: primo vtque è puluere cuncta
Extiterant, ſic & redeunt in pulueris illud
Principium. quotus eſt hominum qui cogitet aptè
Et nouit, demum cùm ſit iam morte ſolutus,
Spiritus hic hominis celſum petat æthera, at ille
Quadrupedum in tenebras & ſubterranea tendat
Spiritus? vtrumuis debebat vita probare.
Hinc fit &, vt cerno, ſibi quod perſuadet, & inquit
Sic

Sic homo: Summa boni ſola eſt gaudere paratis
Atque frui, dum vita manet, pars vnica noſtra hæc
Ducitur, hoc præſens noſtrum eſt, hoc nempe tenere
Expediet; quis enim quæ ſunt ventura videbit?
Quis demum rerum poterit ſpectare ſuarum
Summam poſteritas in qualeis diſtrahat vſus?
Hæc pleriſque hominum conſtat ſententia, qualem
Arguerint variis ſpectata exempla periclis.

COLLECTIO QVARTA.

SEd tamen hi, modò quæ retuli, contraria votis
Euenire hominum arbitrio, rurſuſque recanto:
Dum video quàm multa homines iniuria vexet,
Quos mala fraus, nimium quos dura potentia cogit
In luctum & lachrymas raptis erumpere rebus,
Oppreſſóſve modis aliis, quæ plurima teſtis
Sol exempla videt, nec clàm malè facta, ſed ipſa
Luce patent. videas flenteis, ſua maxima damna
Conqueſtos, quos nemo leuet ſolator, vt vlla
Aut re aut officio iuuet attollatque gementeis,
Vindice vel verbo, præſertim ſuperior ſi
Vis valet, & graſſata rapit ſpoliatque minores.
Dicere vix poſſim quàm multi talia plorent,
Solamenque mali deſperent. vnde beatos
Sæpe ego laudando quos letum ſuſtulit antè
Eſſe magis dixi, quàm quos hæc tempora viuos
Contineant mala tot paſſos, & multa dolenteis,
Naturæ quoniam mortem inter munera pono:
Ex homine aſt homini quæcunque iniuria dura eſt:
Prætulerim tamen ambobus quos comparo functos
Vita, aut nunc vſos, illum, qui in luminis huius
Nondum auras venit tantum inſpecturus iniqui
Atque mali facti, quantum ſub ſole nitente
Spectatur palàm cunctis impunè diebus.
Atqui ego ſi in ſtudiis hominũque laboribus vſquã
Quicquam conſpexi, quod factum dicere rectum

Iure queas, tamen id rectè non dicere factum
Poſſis, vt inuidiæ magis & certaminis illud
Quàm fuerit virtutis opus, dum nemo ſuorum
Cedere vult cuiquam fratrum; nam gloria cunctos
Diuerſis agitat curis atque æmula verſat.
Iſtud NIL etiam eſt, niſi cura paſcere ventos.
Nil medium eſt: namque inſanus qui nil agit, & quâ
Effugit inuidiam & curas, hic marcet inerti
Deſidia, ac læuam dextræ coniungit, & hæret
Eſuriens, ſuaque abſumens ac ſe quoque tandem,
Atque iſto ſeſe pigrum ſermone tuetur:
Plena mihi potiùs malim ſit vola quieto,
Quàm curas inter capiat quod pugnus vterque.
Hunc ego damnaui inſanum: mox inde reuerſus
Non minus hoc aliud NIHILVM ſub ſole videbam,
Quendam hominẽ, ſolũque illum, cui nemo ſecũdus
Síve domíve foris, natis & fratre carentem,
Cui tamen immenſæ curæ aſſiduique laboris
Non modus aut requies, non vtitur ille repoſtis
Diuitiis, queis nec oculos ſatiare videndis
Audet: adhuc nam plura parat, conditque parata:
Nec miſer ipſe ſibi quicquam arrogat; aut ita ſecum,
Cui quæro? cui me excrucio? cur ipſe inimicus
Sum mihi, quæſiti viuens indulgeo nulla
Parte boni? Hoc etiam totum NIHIL, & mala mẽtis
Stultitia eſt, atque humanæ rationis egeſtas,
Nec minùs atque ille, hic fuerit malè ſanus habẽdus.
Eſſe duos curæ pariter pariterque laboris
Communisque boni ſocios, quàm ſcilicet vnum
Præſtiterit, minor eſtque labor diuiſus vtrique,
Lætitia & maior parta mercede laboris.
Si ſimul ambo cadant, releuantur & ambo viciſſim;
Cùm cecidit ſolus, ſerò ſine vindice ſurget:
Pluraque amicitiæ bona ſunt, nam fortè cubantes
Se gemino poſſunt mutuoque calore fouere:
Si cubet ægrotans aliàs aut frigidus vnus,
Vnde,

Vnde, licet multa ſternatur veſte, caleſcet?
Si quis & in te etiam violentior incidat vltro
Improbus, & cupiat te lædere, iungier ambos
Cùm videat contrà vel propugnare paratos,
Tum metuens fugiet; volet aut ſi ſtare, dolebit.
Iam verò triplicem funem, quæ rumpere vires
Quàm facilè aut valeant! adeò concordia præſtat
Denique diuitias & opeis fruſtra eſſe notaui
Iis, errore malo quoſcunque amentia verſat:
Vnica ſed vitæ confert ſapientia in omni
Conditione. Puer ſapiens primáve iuuenta
Inſano præſtare ſeni credendus, vt iſte
Quamuis eſt monitus nil proficit, ille ſuo ſe
Conſilio atque alios ſeruat. De carcere quondam
Ac de compedibus iuuenis ferroque ſolutus
Iura dedit prudens populis dictus pater & rex.
Nam neque pauperiem neque opes natura dat vlli,
Omnibus æqua eadem mater, quos ducit in auras
Vitai prorſus nudos ac veſtis egenteis,
Qualis & iſte ſenex natus quoque, quẽ modò regem
Diximus inſanum; neque enim plus matris ab aluo
Attulit is, quàm quem iuuenem ſibi ferre ſecundas
Conſtituit: vidi huic viuentes dedere cunctos
Se comites, hunc præfectum Sol vidit, vt olim
Iura daret populis & regia ſceptra teneret.
Sed neque finis erit, neque quicquã dicere certum
Poſſumus & populo proprium ſemperq; probãdum:
Quem quondam gaudente animo coluere priores,
Poſteritas odiis mox faſtidiuit iniquis:
Hoc etiam ad NIHILVM curarũ & nomina iũgam.
Ergo quid optandum fuerit tibi, quidq; petẽdum
Dum ſacra templa Dei viſurus tendis, in ipſa
Cerne via, hancque pede attentus metire modeſto,
Compoſitoque gradu meditatus quid deceat, quid
Non deceat, quoniam cernitq; auditq; propinquus
Te Deus, hoc præſtat longè quàm victima multa in-

Sanorum, queis nulla mali notitia certa eſt,
Queis fas atque nefas confuſa in mente vagatur.

COLLECTIO QVINTA.

ORe preces temerante ideo effutire caueto
Ante Deū, qui cuncta videtque auditq; ſeuerus.
Nec tibi cor propero ſenſu confundere verbum
Suadeat oranti: nam pauca & certa locutum
Qui ſedet in cælis, vnde infima & alta gubernat,
Te videt in terris orantem, nouit & idem
Quid ſit opus terris, & in ipſis quid tibi opus ſit.
Huic tu cor præbens totum, paucíſſima funde
Supplex verba: nihil ſecius malè ſana frequentat
Stultorum vox verba, boni atque expertia ſenſus,
Quàm varia ægrotus, confuſus imagine rerum
Multiplici, patitur temerata inſomnia monſtro.
Quæ bona vota Deo rectè & concepta vouebis,
Soluere prompto animo, officio ac pręſente memēto,
Non ita vt inſani, quorum ſunt vota caduca.
Ne voueas potiùs, quàm voti debitor vltro
Concepti malus accedas nullúsve redemptor.
Namque tibi ipſe tuo damnatus ab ore parabis
Peccatum, carníque iſti fraudemq́ue malumq́ue.
Quod iam vouiſti, errorem ne dicito, néve
Excuſes, præſente illo, qui cuncta fideli
Verba hominū ſtylo in tabulis notat Angelus, & cur
Voce tua iratum numen tibi reddere tentes,
Hinc manuum doliturus opus periiſſe tuarum?
Ergo fidem, non verba dabis: nam plurima verba
Sūt totidē NIHIL, vt quā plurima ſomnia NIL ſunt.
Nempe Deum reuerere timens, ac tempore in omni
Hunc cole & obſerua: nec tu miraberis vſquam
Si meliorem audax vocet in ius improbus, & ſi
Iudice corrupto diues malè fraudet egenum,
Iuſtaque iudicia in prædas & verſa rapinas

Si vi-

Si videas, tamen haud dubites num ſentiat, aut num
Diſſimulet Deus hæc palàm ſpectata per vrbeis.
Non vnus tantum cuſtos obſeruat in alto
Facta hominũ: tu hunc nõ cernis, nãque altior eſt te,
Altior illo alius. longè hoc ſublimior extat
Vnus, & iſto alius, tum cunctis præminet ille
Qui ſimplex conſtat, numerum & ſibi vẽdicat idem.
Reſtat vt interea melius non eſſe putetur
Vilum opus agricolæ ſtudio innocuoque labore;
Quod decet & regem, quoſcũque & rege minores.
Nam qui amat argentum, tamen inſatiabilis vſque
Eſurit, argentoque ſatur ſibi non erit vnquam.
Quiſquis & varia ac ſine frugibus vrget amando,
NIL agit iſte ſibi nec rebus paſcitur ipſis.
At bona quæ fuerint, mediocriter eſſe petenda
Atque paranda reor. nam cui bona plurima cernis
Eſſe domi, numerus comedonum maximus inſtat.
Quid domino hoc præſtat? nimirum ſi qua voluptas
Eſt ſpectare, oculis is multos ſpectat edenteis.
Dulces agricolæ ſomni, ſeu fercula pauca
Contingant, ſeu multa, tamen cubat ille quietus:
Nulla quies ſaturo quamuis eſt diuiti, at ipſæ
Diuitiæ ſomnos adimunt, epulæque frequentes.
Morbus item malus eſt & non inſania ſimplex
Palàm viſa mihi claro ſub ſole Recondit
Diuitias quidem & ſeruat, quæ cauſa malorum
Sint ſibi, & inſidias moliantur, denique praua
Diſpereant ratione: nihil ſed filius huius
Diuitis inter opes genitus tetigiſſe paternis
Vel valet ex rebus, vel poſſidet vtilis artis:
Cogitur inde magis quam natus pauper egere
Ille pater, qualis matris proceſſit ab aluo
Nudus abit, nil fert ex his quæ parta labore,
Et ſtudio ſeruata, manu ſed cedit inani.
Sed malus hic morbus cunctis communis in auras
Eductis; qualis nam viſus quiſque venire,

Talis abit. Quid nam tantum curæ atque laboris
Profuit in ventum iacti, nulliſque diebus
Præ ſtudio niſi poſt reduces ediſſe tenebras,
Tantum iræ atque metus, tantum ſubiiſſe furoris?
Ergo bene eſſe iſtis tantum pulchreque videbam
Indulgere epulis, & vino fallere curas,
Atque labore frui poſito rebuſque paratis,
Quod ſupereſt vitæ vſque breuis ſub ſole, Deus quos
Dat poſt hac ſupereſſe dies, namque hæc ſua pars eſt.
Sic iſti ſecum: ſed non tamen integra cunctis
Hæc ratio conſtat: nam nec Deus omnibus amplas
Diuitias & opes donat cumulare, neque omneis
Vel gaudere ſinit partis, vel tollere partem
Cuique ſuam cedit, quam vult, potuque ciboque
Atque labore frui proprio, conſtant quoque dono
Iſta Dei, non arbitrio votoque petentum.
Raros nam videas hominum memorare beatos
Se cunctos vixiſſe dies, atque omnia cordi
Læta Deum proque arbitrio indulſiſſe benignum.

COLLECTIO SEXTA.

GRāde malū vexare homines nimiumq; moleſtū
Atque frequēs nimium claro ſub ſole videbam.
Eſt cui diuitias Deus & largitus honorem eſt,
Nec rerum, quas appetiit, pars defuit vlla,
Non tamen hic ex his quæ ſunt ſibi parta comedit,
Aſt alienus mox cuncta abſumturus habebit.
Quid magis hoc NIHIL eſt, quis morbꝰ acerbior iſto?
Si centum is genuit natos, ſi vixit & annos
Plureis, exemplumque auxit commune dierum,
Nec ſatur ipſe vnquam vixit vel parte bonorum,
Opportuno etiam priuatus honore ſepulchri eſt;
Vnū NI- Non ego abortiuum fœtum huic præferre negabo:
HIL *aliĳ* Nāq; eſto in NIHILVM hic venit tenebraſq; petiuit,
preferen- Ac tenebris fuit ipſe ſuo cum nomine opertus,
dum. Non

Non etiam ſolem inſpexit, nil nouit, at ipſi
Nunquam rupta quies manet, illi rara fuit quæ.
Quòd ſi mille, ſatis non eſt, ſi millibus annis
Vixerit, atque bonum tamen is nō viderit vnquam,
Cætera nónne ſimul petitur locus omnibus vnus?
   Ventris cauſa oriſque homini labor omnis aditur,
Os tamen expletur nunquam, ſit quamlibet arctum.
Inſano quidnam ſapiens diſtabit vbi ipſum
Curet idem potior ſententia pauperis & mens
Viuere dum curat, viuenteſque inter haberi.
Pulcrius aſt oculis ſpectanda vbi multa ſuperſunt,
Quàm veſci tantum, ventri indulgere & auaro.
Imò hoc fit quoq; NIL, mala cura, & paſcere ventū.
   Gloria cui cordi eſt, & noti nominis vſque
Aura placet, cui nominibus contendere magnis
Sic putet, & fuerāt hominū quoq; nomina quōdam,
Nunc ignota iacent. nullum at contentio finem
Tandē habet; inſtanti haud deerit qui præuolet vnus
Atque alius aliuſque etiam præcurrere fortes.
Longè plura nimis præter quæ diximus eſſe
Dicere, quę ad NIHILI ſoleāt NIHIL addere ſummā,
Atque homini, qui NIL etiam eſt, prodeſſe valēt NIL.
Quiſnā homini ex iſtis, modo quęvt bona magna pe-
Certa & vera bona agnouit, vel cōmoda dixit, (tūtur
Aptaque pro numero incerto, quem vita dierum
Exiguum currit ſimilemque fugacibus vmbris;
Atque homini quis prædixit, quid poſtera dem um
Afferet hora etiam viuo & ſub ſole manenti?

COLLECTIO SEPTIMA.

SVnt bona, non dubito, ſed non æqualia prorſum.
Sunt vnguenta bona, & ſpirantia balſama ſuaue:
At bona fama magis redolens, & nomen honeſtum,
Et poſtrema dies melior dicenda die, quo
Natus homo incertus vitæ certuſque laborum.

Præſtat adire domum quæ triſtia funera luget,
Quàm celebrare epulas, petere & conuiuia læta.
Illic communem finem ſortemque ſupremam
Diſcit homo, & viuens prudente in corde reponit.
Commoda præſtat item riſu indignatio. nam cor
Corrigitur triſti facie, vultuque ſeuero.
Cor ſapiens luctum ſemper meditatur, at vna
Lætitiæ inſano cura eſt, quam corde frequentat.
Iratum confert ſapientem audire magis quàm
Stultorum cantus & carmina læta iocoſque,
Sic placet aut prodeſt inſani riſus, vt ollæ
Suppoſitas ſpinas crepitantibus vrere flammis.
Infamat ſapientem olim violentia, cuius
Cor accepta etiam promiſſáve munera perdunt.
Principio finis præſtantior: vltima quiſquis
Cogitat, in rebus non is falletur agendis.
Spiritui longo & lato ſublimis & altus
Spiritus haud eſt par, ſimili nec laude probandus.
Nō temere iraſci, atque animum cohibere memēto:
Ira ſinu inſani fuit vt commiſſa moratur.
Præteritos laudare dies, præſentibus atque
Præferre, haud ſapientis erit ſermonis; at æquis
Proſpera ferre animis aduerſaque tempora præſtat.
Eſt bona cum fundo ſapientia, viſere ſolem
Dum licet & vitæ mortalis viuere tempus.
Nunc ſapienti vmbram ſapientia præbet, vt æſtus
Arceat: argenti interdum ſuccedere in vmbram
Tempus erit; verum ſapientis notio tantum
Præſtiterit, quantum ancillis matrona regendis.
Aſpice facta Dei, propriis vt ſingula conſtent
Ordinibus: conſtare ſuis humana putato
Cūcta modis: quod conceſſum, quod cuiq; negatum
In vita eſt, quis in melius mutare valebit?
Attulerit quodcumque dies ac temporis hora,
Hoc age, ſiue bonum fuerit, cape læta modeſtè,
Siue malum, tamen hoc etiam ſine numine factum
Ne

Ne credas: namque ipſe Deus contraria prudens
Oppoſuit vicibus verſis; reperire neque vllus
Poſſit homo quidnam excipiat,contráve requirat,
Dum rogat an mortale genus lex certa gubernet.
Hæc ego cuncta meis breuibus nihiliq́ue diebus
Conſpexi:eſſe,inquam,iuſtum,ſibi iuſtaq́ue agétem
Interitu propero extingui; contrarius illi
Improbus extiterat,tamen iſti longior vltrà
Improba vita modum malefactis non dabat vllum.
Iuſtior haud fueris,moneo,aut ſapientior vnquam
Quàm ſatis eſt:tibi cur mortem properéſve ruinam?
Nec cedo inſanire tibi tamen improbo & eſſe
Aut cupido nimium:properę nam mortis vtrumque
Cauſa erit,an præter tempus periiſſe iuuabit?
Alterutrum præſtat capere,& pro tempore vtrũuis
Hoc retinere manum,non intermittere ab illo.
Sic ſapias. Nunquam ſi vis errare,timore &
Lege Dei inſtruitor:manant hinc omnia vera:
Præſidio ſapientis erit ſapientia longè
Maiori,quàm ſi vna decem ſit cura tutelæ
Principibus patriæ bene proſpicientibus vrbi.
Sic ſapiens cordatus aget. ſed quem modo iuſtum
Non nimis hoc agere admonui,meminiſſe monebo
Iuſtitiæ nimis haud propriæ nitatur homo; nam
Nemo adeò in terris iuſtus,bene qui omnia nullis
Perficiat turbata malis erroribus vſquam,
Conferat vt legi mentem linguamq́ue manuſq́ue.
Cuncta neque ipſe tuo excipies in pectore prauè
Quæ vulgus loquitur; ſed nec maledicta tibi quæ
Iratus ſeruus quandoque ingeſſerit,audi.
Quin debes meminiſſe,aliis maledixeris vt tu
Et quoties: conſcire etenim tibi cor dabit vltro.
Omnia quæ dixi,ſapientia perdocuit me
Expertum:at ſapere vlterius multumq́ue petentem
Ipſa procul quam quærebam ſapientia fugit.
Quod fuit,id procul eſt; ſunt multa futura profũda,
Quis

Quis prius inſpexit? quis poſteriora tenebit?
Corde auido redij noſcendi indagine multa,
Quantum cognitio poſſit, ſapientia quantum,
Improbitas, & ſtultitia atque inſania, nugæ:
Omnia componens dum comparo, ſingula dumq́ue
Contemplor, tunc comperio mala mortis amaræ
Femineis leuiora malis, mulieris & arte,
Cuius cor ſtudio venandi retia tendit,
Cuius vtraque manu nectuntur vincla catenæ.
Qui bonus atque Deo probus eſt, immunis ab illa
Euadet: dominam feret hanc qui peccat & errat.
Cerne hoc inueni (collectrix dixit & hoc mens)
Dum rationis opus ſtudeo inueniſſe, repertum
Vnum iungo vni, iungens & comparo, vt inde
Prodeat is fœtus modo quem reperire pararam.
Præterea hoc auidus dum quęro, non tamen vſquam
Inuenio, vnus homo è mille inuentus mihi forſit.
Dum numero, dum compono; ſed femina in iſtis
Omnibus haud inuenta mihi quas comparo mille.
Hoc vnum reperi, tibi quod cognoſcere proſit,
Rectū hominē, dominūq́ue ſui, bene deniq; rectum
Conditor ille Deus perfecerat, attamen ipſi
Multa ſibi numeranda graui atque agitanda labore
Et miſeris voluenda modis peperere libentes.

COLLECTIO OCTAVA.

INter tot curas inuentas, totq́ue moleſta
Quot mentē vexant hominis, quis noſcere rerum
Naturam, tempus, cauſas, euenta probatur
Vt ſapiens? hominis faciem ſapientia luce
Perfundit, mutatq́ue iras, vultumq́ue ſuperbum,
Atque ſupercilium demit redditq́ue modeſtum.
Iamq́ue ego te, quamuis ſapientem, plura monebo.
Os regis ſeruare tua ac iurata memento:
Ne violes dictum regis, temeréve locutus

Quid

Quid præſente Deo iures, neu poſſe latere
Effugere aut vultus credas; neu dicere verbum
Aut retinere malam rem pergas: quidquid enim vult
Conficiet tandem tibi rex metuendus vterque.
Nam regis verbum conſtatque & præſtat vbique:
Quis nimium huic audax dicet, nam quid facies tu?
Qui pius obſeruat præceptum, quid mala portent
Tempora, non metuet, nam quamquam nouerit eſſe
Iudicium ac tempus ſapientis cor ſciet, actis
Omnibus eſt nam iudicium cum tempore, ſed nec
Aut quale aut quãdo notũ; hoc inter mala magnum
Eſt homini ignorare inquam, quid, quale futurum,
Aut quando: quis namque illi prænunciet antè?
Eſto homini hoc notum fuerit, ſed nulla poteſtas
Qua vitæ valeat retineri: ſpiritus huic eſt.
Nam neque rex horæ extremæ mortiſque diei
Imperat, aut gladius, cùm feruent prælia, vulnus
Pro domino excepit, ſua nunquam liberat vllum
Improbitas. vidi hæc cuncta expertuſque notabam,
Dum cor ipſe meum noſcenda per omnia dedo,
Omnia facta, inquam, fieri quæcunque videt Sol.
Exiſtit tempus cùm princeps imperat vnus
Durus homo, inq; hominũ intentus dãnũq; malũq;.
Et vidi quos improbitas infamat ad vſque
Viuere felices obitum, vidiq́ue ſepultos,
Et veniſſe, horum referant qui nomina, natos.
Eque loco ſancto nonnulli abiere maligna
Occuluit quos extinctos obliuio in vrbe,
Conſtiterant vbi multa horum benefacta merẽtum;
Hoc etiam NIHILI ſummæ appoſuiſſe licebit.
At quia non properè inſequitur vindicta malorum,
Nullus cordi hominũ mod⁹ eſt mala multa patrãdi;
Nequitiæ internæ pleniſſima pectora feruent:
Sed centum quamquam vicibus peccator aberret,
Et longo malefacta ferat ſua tempore inulta,
Ipſe tamen noui ſemper iuſtumque bonumque

Eſſe piis timuiſſe Deum, ſemperque timere.
Non bene quippe bonũ tandẽ feret improbus vllus,
Tum gregis iſtius partem non tarda ſequetur
Pœna comes, cui vita breuis velut vmbra peribit.
Namque hęc iacta Deum parum metuẽtibus eſt ſors.
Eſt nũc hoc NIHILVM in terris, fuerat quoq; & olim,
Accidat vt fieri in iuſtis exempla quibuſdam
Qualia pro meritis ferrent grex improbus æquè:
Improbus ac rurſus non tantùm viſitur vnus,
Contingant cui, quæ ius eſt contingere iuſtis.
Dixi ergo, hoc NIHILI ad numeros & nomina iungã.
Lætitiam ſic laudaui, quia ſcilicet iſta
Sũma boni haud alia eſt, homo qua ſub ſole fruatur,
Nisi cibus & potus, rebuſque vacare iocundis:
Atque hoc ipſe ſibi pro curis proque labore
Arrogat in breuibus, numerat quos vita, diebus,
Munere quanta Dei ſub ſole excreſcere poſſit.
Sic ego cùm toto ſtudio me & corde dediſſem,
Scire auidus mihi quas ferret ſapientia cauſas
Horum quæ in terris memoraui facta (mei nam
Nocte dieque oculi haud penitus vidêre quietem)
Omnia facta Dei vidi; ſub ſole tamen quæ
Commemorata mihi fiunt inquirere plureis
Vidi homines, reperiſſe tamen potuiſſe: neque ipſum
Qui ſibi nota ferat, ſapientem poſſe putabo.

COLLECTIO NONA.

IPſe equidem cũcta hęc tacitus dum corde voluto,
Vt iuſti, vt ſapientes, vtque horum quoque ſerui
Atque opera haud ſibi quid poſſint addicere, non ſe:
Quippe Dei auxilio atque manu & virtute tenẽtur.
Sed neque nouit homo cunctorum quos habet idem
Coram ſe inuidiam, nec certum nouit amorem.
Quî ſciet illa igitur cunctis communia quæ ſunt,
Quas habeant cauſas ſimilis cum caſu iniquo
Atque

Atque æquo atque bono, puro impuroq; neque alter
Eueniat deuota cadit cui victima ad aras,
Et cui nulla venit, peccatoríque proboque, &
Periuro eueniat ſicut & iurare timenti?
Multa videt ſol hîc fieri, tamen hoc ego durum
Cenſuerim, caſus quòd & incidat omnibus vnus:
Vnde & corda hominum ſtultis prauiſque referta
Conſiliis videas corruptam viuere vitam,
Nec meliora illis affingere quos rapuit mors.
Exceptum à mortis regno quem nouimus? aiunt.
Quæ ſpes eſſe poteſt viuentibus omnibus, hāc mors
Deiicit, vt melior viuenti certa cani ſit
Conditio, quàm vel forti extinctoque leoni.
Nam viui memores æui breuis, vndique quærunt
Gaudia, delicias, properant & viuere: quando
Nil ſupereſt pòſt defunctis vitaque boniſque,
Quæ nec nota illis poſt hac neque commoda reſtāt;
Sola manet namque ignotos obliuio: ſed nec
Hos amor inuidia aut ſequitur (periere ſimul quæ)
Non demum quidquid fiet ſub ſole deinceps
Tempore venturo, hos minima vel parte iuuabit.
Lætus age indulgeaſque tuis epuliſque cibiſque,
Lætitiam & cordi largis effunde lagenis:
Et permitte Deo tua cætera quanta futura
Qui pridem inſtituit, quantum ſibi grataque nouit.
Vnge impenſe caput, candenteis indue veſteis:
Feſta tibi ſit cuncta dies, nec deſit amica
Iuncta tibi breuibus quos hæc dat vita diebus.
Lætus ſorte tua fruitor: nec ſpernito partem
Demere de ſolida minimam: nāque hoc tibi tantum
Et vitæ & cuncti accepti ſub ſole laboris
Contigit haud iterum repetendum, quò bone circa
Omnia conficito quæ nunc tibi commoda poſſis
Conficere vt cumulata vales: nam nulla ſub orco
Facta manēt, nulla aut ratio aut ſapiētia, nec quicquā
Illò ſcire licet, properas quò, nempe ſepulchro.
Dum-

Dumq́ue hæc dicta hominũ refero, ſub ſole reuerſus.
Adſpicio haud ſemper curſum velocibus eſſe
Certè opportunum: robuſtis prælia ſæpe
Non conſtare, cibum ſapientibus eſſe negatum:
Sed neque prudentes locupletes viuere cunctos,
Nec doctos ideo gratos quia multa ſciebant:
Omnibus his non eſſe datum felicibus, imo
Accidit incurſus illis, ac temporis hora.
Sed neque nouit homo ſua tempora, piſciũ vt olim
Turba per inſidias in retia truſa repente,
Vt quoque gens auium laqueis pediciſq́ue retenta:
Sic genus humanum caſus ſubitæq́ue ruinæ
Temporaq́ue improuiſa manent, ſorteſq́; nocentes,
Contrà etiam, ſed magna quidem ſapientia ſemper
Viſa mihi ſub ſole fuit, ſic multa notaui
Commoda & illius longè præſtantia regno:
Vrbs parua, & non illa viris populóve frequẽs, quam
Obſidet ac magnus vallo rex ambit, & hoſtis
Plurimus infeſtat, nec ſpes tenet vlla ſalutis:
Ecce autem inuentus ſapiens vir pauper in illa
Ignotuſq́ue ſuis (ſolennis pauperis hæc ſors
Tritaq́ue) ſed tamen hic ſapiens, quem celat egeſtas.
Conſiliis tamen hic ſapientibus eripit vrbem,
Victoremq́ue regit dictis & cedere cogit:
Sic equidem dixi, multum ſapientia præſtat
Viribus atque viris robuſtis, quamlibet vſque
Deſpecta & contempta iacent ſapientis egeni
Verba, quibus vulgus non æquas admouet aures,
Cùm tamen interdum ſapientis verba modeſtè
Dicta audire magis præſtet, quàm principis altum
Clamorem, inſanis non ſanus qui imperat ipſe,
Præſtat item cunctis ſapientia, non eget armis,
Auertiſſe malum, & metuenda pericula fortis.
Vnus peccator potis eſt bona perdere multa.

COLLECTIO DECIMA.

VT violans pretioſum vnguentum mortua muſca
Innatat,& putet quoque; ſic inſania, quamuis
Parua,viro turpis ſapienti, turpis honeſto eſt.
Dextro vir ſapiens, inſanus córde ſiniſtro
Vtitur; ille alacris,cuncta hic ad munia vęcors.
Ire viam ſæpè inſanum ſine corde notabis,
Ipſe ſua inſanum ſeſe quoque voce profatur.
Si tibi prævalidi inſurget,ſi multa potentis
Spiritus,ipſe locum proprium ne deſere:namque
Maxima ſæpe adeò peccata modeſtia ſedat.
Grande malum ſoleo admirans ſub ſóle videre:
Quando ſponte ſua,populis qui conſulit,errat.
Præfecto inſano quondam & loca ſumma tenente,
Ima quiſquis eris diues tunc ſede ſedeto.
Iam vidi ſeruos equitantes currere,vidi
Magnates horum comites pedibuſque terentes,
Inſtar ſeruorum,tellurem & ſtrata viarum.
Incidet in foueam quam quiſque effóderit:& quem
Maceriem turbaſſe iuuat, mordebit & anguis.
Quiſquis ſaxa mouet,ſudat, ſentitque laborem,
Et quidam findit,non expers,ligna, periclis.
Obtuſum ferrum ſtudeas niſi reddere acutum,
Viribus vtendum eſt magnis. Sapientia præſtat
Vt res faciliùs longè meliuſque gerantur.
Non incantatus contactus mordet vt anguis,
Sic delator aget ſemper, ſemperque nocebit.
At ſapientis erit ſermo gratuſque iuuanſque,
Inſani labia at contrà ſeſe ipſa vorabunt.
Verba inſana leuis primùm pronunciat ore,
Cuius ſtultities mala ſunt quoque & vltima verba.
Sæpe hæc inſanus vel talia verba frequentat.
Neſcit homo quidnã eueniet, quid póſtve futurum,
Tum quod erit poſt ſe extinctũ, quis nã indicet illi?
Inſanos ærumna manet certiſſima, quorum

Mens ignara viæ optatam quæ ducat in vrbem.
Væ tibi terra, puer cuius rex væ tibi cuius
Magnates epulis indulgent ſolis ab ortu.
Ingenuus tibi rex cui contigit, vſque beata
Tellus, magnates cui fortes, menſa quibus fert
Quod ſatis ad vitam, queis non ſunt pocula curæ.
Trabs grauis vſque, manus quam nō fulciuit inertis
E domini inclinat muro; vitioſaque ſtillant
Tecta domus: piger hoc ſentit ſecurus & excors,
Cauſa quibus tantum viuendi gaudia ſunt: hi
Lætitiam vino atque epulis celebrantque, petuntque
Omnia quæ argento norunt nummiſque parari.
Nec tamen occulto regem ſermone ſinuque
Læſeris, aut ditem intra penetralia amaris
Arceſſas dictis: cælo nam præpete penna
Tranſit auis, vocemque audit, verbumque receptum
Indicat & prodit longè grauioraque defert.

COLLECTIO VNDECIMA.

PAnem, quiſquis habes, liquidas in fluminis altè
Prætereuntis aquas ne parcito mittere, tandémque
Hunc opportuno tibi tempore crede repertum.
Diuide ſeptenis, octonis diuide; neſcis
Immineant mala quæ terris, deponere tutum eſt.
Cùm grauidæ implentur nubes, humore iacentem
Fœcundant terram: ſed poſtquam decidit arbos,
Sic iacet, ad Boream, cadit vt, porrecta vel Auſtrum.
Qui timet excuſans ventos, hic ſemina nunquam
Mandat humo; differt alius per nubila meſſem.
Vt venti non noſcis iter, nec nota tumentis
Oſſa vteri tibi ſunt; ita nec nouiſſe futura
Facta Dei, qui cuncta facit, facietque, valebis.
Mane tuum ſemen ſerito, at nec veſpere pigra
Iſta manus fuerit, moneo; nam gratius vtrum
Proueniet neſcis, ſimul an laudabis vtrumque.
Dulce

Dulce oculis viſus, nec quicquam optatius illis,
Quàm puri ſolis radium lumenque videre:
Attamen vt pluteis annos gaudensque libensque
Viuat homo, poſtquam obſcuras longasque futuras
Poſt vitam tenebras reminiſcitur, omnia NIL ſunt,
Nunc iuuenis lætare, tuæ nunc flore iuuentæ
Cordi indulge tuo, anguſtis lætisque diebus
Vtere, nec parcas oculis, iucundaque viſu
Quære volens: tamen hæc ſcito, tandem omnia iuſto
Iudicio cenſenda Dei, ac tibi cuncta luenda.
Tu cordis compeſce iram, carnisque malignæ
Exue nequitiam: pueri iuuenisque velox, namque
Ætas feſtinat decurrere, finit & in NIL.

COLLECTIO DVODECIMA.

QVin magis ô meminiſſe tui ſanctique bonique
Te iuuet authoris iuuenem, dum nō fugit ætas,
Dumque mali miſerique dies annique laborum
Ingrati nondum accedunt, quos velle negabis:
Antè tibi, quàm Sol ſubeat, quàm Luna tenebras,
Et ſtellæ, ac denſis addantur nubibus imbres.
Cuſtodes domus amiſſis iam viribus illo
Tempore deficient: tum robora dura virorum,
Nutabunt, videas & opus ceſſare molarum,
Exploratrices deerunt, ſeſeque reductas
In tenebras condent ſubitò claudentque feneſtras,
Inque foro portæ claudentur, nec ſonus intra
Piſtrinum auertet ſomnos & auicula voce.
Nec tamen audieris fidibus cantuque peritas.
Alta timent incurui ideo, ſubiectaque euntes
Strata viæ metuunt, ſubitò amygdalina floret
Tempeſtiua arbor, grauis eſt vel parua locuſta;
Quæque cupido fuit, ſeſe vltro conſuet ipſam.
Tendet homo in proprium, ſeclum ſtipante corona
Circum perque forum lugentum, perque plateas.

Lenteſcet nimium tibi tunc argentea reſtis,
Aureus & crater curret, ſtagnoque caducus
Frangetur cadus, in puteum iota decidet imum;
Puluis in antiquæ redigetur pondera terræ,
Spiritus authorem vſque Deum repetitus adibit.
Eſt NIHIL, & NIHILI ſũt omnia, NIL quoq; ſũma eſt,
Dixerat attento ſenſu quæ colligit hoc Mens.
Idem Collector quanquam ſapiens fuerat ſat,
Plura etiam ſemper didicit, populumque monendo
Edocuit, veráſque vias, vſúmque bonorum,
Multa quoque inſcripſit conferta volumina doctis
Exemplis, atque electi gratique repertor,
Verba argumenti explicuit, rectique decoris
Edidit & libros veri, expoſuitque legendos.
Sunt verba & voces ſapientum ceu ſtimuli, ſunt
Ceu claui infixi, ſunt quæ collecta per omneis,
Inſtar apum, libros iunguntur, vt omnia ab vno
Sint paſtore hominum cælum terraſque regentis.
Præter eos, tibi quos refero, feciſſe caueto
Librorum numerum, quorum ſine fine modóve
Scribendi ſtudium & labor eſt & cura legendi.
Anne hoc eſt caro cur pallens, cur macra tabeſcat?
Hic modus, hæc verbi finis poſtremaque meta,
Hactenus auditum fuerit quodcunque tibi me
Præceptore: Deum timeas, mandataque ſerues
Illius, vnus homo vt ſaluus viuatque beatus.
Vnum agito hoc opus, hic finis tibi cauſaque vitæ.
Nam quidquid fiet factúmque euaſerit, æquo
Iure Deus iudex authoribus arrogat ipſis
Atque bono atque malo, non rerum pondere tãtum
Qui norit cenſere hominum benefacta maleque,
Sed quoque conſilio interno mentiſque receſſu.

FINIS.

APPROBATIO.

IN hoc artificioſo & elaborato Carminum libro, quod S. Romanæ Eccleſiæ Catholicæ religioni, vel bonis moribus, vel Regiæ Maieſtati contrarium eſt, reperi nihil: & propter ſingularem elegantiam & vtilitatem, dignum eſſe cenſeo vt imprimatur, & ab omnibus legatur. Datum Antuerpiæ, anno 1 5 9 2, 3. *Id. Iunij.*

D. Henricus Zibertus Dunghæus,
S. Theol. Doct. Canonicus Cathedralis Eccleſ. B. Mariæ Virg. Antuerpiæ, librorum Cenſor.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIS priuilegio cautum eſt, ne quis citra voluntatem Ioannis Moreti, Typographi Antuerpienſis, librum cui titulus eſt, *Benedicti Ariæ Montani Hymni & Secula*, intra ſexennium vllo modo imprimat, aut alibi impreſſum in ſuas ditiones importet, venalémve habeat. Qui ſecus faxit, confiſcatione librorum, & graui pœna multabitur: vti latiùs patet in litteris Datis Bruxellæ XVIII. Iunij, M.D.XCII.

Signat.

Prats.

12023174x

14